
Aſſistentia Germaniæ S. J.

LEOPOLDI GVILIELMI, ARCHIDVCIS AVSTRIÆ, PRINCIPIS PACE ET BELLO INCLYTI, VIRTVTES;

A R. P. NICOLAO AVANCINO, Tyrolenſi, è Societate IESV, S. Theol. Doctore, & Profeſſore Academico Viennæ, deſcriptæ.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. LXV.


TIMORE DOMINI
NON ALIVD
CÆLO LVCET FORMO
SIVS
ASTRVM
FIDE
SERVATA
LEOPOLDVS GVILIELMVS
ARCHIDVX, BELLI IMPERATOR, EPISCOPVS
PIETATE, FORTITVDINE, ZELO
INCLYTVS

AVGVSTISSIMO
ET
INVICTISSIMO
LEOPOLDO
AVSTRIACO,
ROMANORVM
IMPERATORI,
GERMANIÆ, HVNGARIÆ,
BOHEMIÆQVE REGI,
PRINCIPI CLEMENTISSIMO.

DOmesticum, Agnominem, Patruum, Serenissimum Leopoldvm Gvilielmvm, in Militiæ Imperatore Sacrorum Antistitem, in vtroque Austriacum Principem, Sacræ Maiestati Vestræ ad genua sub-

ſubmiſſus præſento. Dulcis adhuc memoria, & numquam interiturus in MAIESTATE VESTRA affectus, quo tanti Herois virtutem ſuſpiciebat, ſecurum me reddunt, non futurum ingratum munus, ad cuius vel nomen cognatus animus ſereniſsimâ voluptate perfunditur. Vtinam fata illum in proximè eius mortem ſecutas tempeſtates Ottomannici furoris ſeruaſſent ſuperſtitem! nullus dubitet, cui vel LEOPOLDI nomen à famâ auditum, vel præteritorum annorum commemorata eſt gloria, quem toties pro Auguſtiſsimo Fratre per Germaniæ bella, toties pro Catholico Rege per Belgij turbines proſtituit ſanguinem,

eum-

eumdem quoque pro conſeruandis SACRÆ MAIESTATIS VESTRÆ Regnis ac Prouincijs, firmandóque Imperio, eiuſdem amori conſecraturum fuiſſe; vt vel ſtans Ottomannicam rabiem proculcaret, vel cadens barbaram immanitatem opprimeret. Sed placuit Superis in anteceſſum illum viuorum numero eripere, vt ſoli MAIESTATIS VESTRÆ virtuti campus ille aperiretur; ex quo, paruo milite, ſed magnis animis ſtipata, & præſidijs fulta Diuinis, numeroſos exercitus profligaret, eóque deſperationis adigeret, vt qui tumido ſpiritu bellum intulerant, deiecto animo pacem poſtularent. Nec minoris gloriæ fuit petenti pacem concedere,

cùm

cùm posset victorias serere; quàm bellum incitatiùs vrgere; cùm vellet Christiano sanguini parcere. Vnius æstatis labore omnem illam depressit audaciam, quæ plurium annorum excreuit superbiâ, & Barbararum gentium adiuta præsidijs omnem Asiam, de victoriâ certior quàm de pugnâ, in Hungariam, Croatiam, & proximos Austriæ, Styriæ, & Carnioliæ limites effuderat.

Non contexo hîc MAIESTATI VESTRÆ panegyricum; in quo nobiliores calami desudabunt: sed illud assero; nisi Orbis Imperatorem habuisset AVGVSTISSIMVM LEOPOLDVM, acerbiùs tulisset funera sibi nuper erepti LEOPOLDI

GVI-

Gvilielmi; quem nemo tamen bonorum non fleuit, quia nemo non amauit.

Illum ergo Maiestati Vestræ grande ſolatium, Auguſtiſsimi Aui dulce delicium, Auguſtiſsimi Parentis firmiſsimum poſt Diuina præſidium, Germaniæ Herculem, Achillem Belgij, Eccleſiæ vindicem, aſſertorem Patriæ, Ideam Principum, Auſtriadum gloriam, militum animam, Belli-imperatorum Ducem, Pontificum lumen: illum tot è Vaticanâ tripode commendatum oraculis, tot Regum ac Principum laudatum elogijs, tot gentium ac populorum deſideratum votis, tot orbis vniuerſi deploratum lacrymis Leopoldvm Gvi-

LIELMVM, in ſuis delineatum virtutibus & glorioſis meritis MAIESTATI VESTRÆ præſentem ſiſto, quem viuum ſemper gerit in corde, & aſsiduâ virtutum expreſsione longè reddit auguſtiorem.

Scio, temeritatis aut præſumptionis quamdam eſſe ſpeciem, obſcuro ab homine Magnorum gloriam celebrari; ſed veniam meretur præſumptio, quam ſuaſit totius orbis affectus. Verum eſt, materiam eſſe ſublimiore dignißimam ingenio; ſed quod deeſt ingenio, ſupplet affectus. Hic ſine culpâ eſt audax, ſine crimine impudens; & ſeſe Imperatorum vultibus impunè obijcit. Non ademi melioribus venam, ſed rudibus lineamentis

oſten-

oſtendi, quid olim, quid etiamnum hodie tentare poſſint illi in MAIESTATIS VESTRÆ auguſtas panegyres, quantumuis ſeſe rerum geſtarum pondere laſſati experiantur.

Faciat optimus Deus, vt quem MAIESTAS VESTRA nomine refert, gloriâ antecellit, viuendi quoque ſpatio longiùs extenſo in myriades ſuperet; & ſi immortalis eſſe aut non poteſt, aut faſtidit, quàm diutiſsimè ſaltem Religionis, Auſtriacæ Domûs, Imperij, ac totius orbis commodo mortalium habenas ad felicitatem moderetur. Ita omnium bonorum votis precatur

SACRATISSIMÆ MAIESTATIS VESTRÆ

infimus ac deuotiſsimus Capellanus
Nicolaus Auancinus.

AD LECTOREM.

PAuca mihi ſunt, quæ tibi loquar, Amice Lector. Noſti LEOPOLDVM GVILIELMVM Archiducem Auſtriæ, &c. Heroëm illum toto orbe celebratiſſimum? Si vultum eius tibi coràm videre non licuit, certè latè didita eius fama ad te peruenerit. Nihil illa ſiniſtri de LEOPOLDO narrauit vmquam: quod quidem par eſt miraculo. Nam quantæ Magnorum inuidiæ, quantis minorum cenſuris obnoxia eſt vita Principum! etiam quæ gerunt cum laude, mordentur à vulgo, & tanto quiſque ſe ſanioris arbitratur iudicij, quantò acerbiùs audet de conſilijs, de gubernatione, de affectibus, de factis Principum loqui. At quid cenſes de illo Heroë, qui ſupra inuidiæ libidinem poſitus, ita eam fræno vndequaque commendabilis vitæ coërcet, vt quamquam illa ſiniſtro omnia rimetur oculo, non inueniat tamen quod arguere poſſit? Silere potes, ſi inuides: at ſecretò tamen tibi ipſi fateri debes, hoc LEOPOLDI GVILIELMI fuiſſe in omnium animos imperium, vt omnes de ſe loqui cogeret, & omnes benè loqui: non quòd tam beneuola extiterit ſingulorum inclinatio voluntatis; ſed quòd tanta fuerit LEOPOLDI innocentia & animi integritas, vt ab omnium iudicijs ſui æſtimationem extorſerit.

Quæ

Quæ ergo sparsim de illo æquè pio ac inuicto, æquè sago ac togâ inclyto Heroë à famâ audiuisti aliquando, imò & quæ non audiuisti, quæ cum securâ posteritate obstupescas, hîc velut in fascem collecta exhibeo.

Non est mihi mens, annales rerum ab ipso gloriosè gestarum contexere. Transcribo hoc liberiori calamo, cui dicta veritas vel nullum pariat odium, vel soli, citra cuiusquam alterius damnum. Ego, quod à me postularunt ij, quibus & amori fuit & venerationi LEOPOLDVS, *solùm eius Virtutes ad posteros transmittendas suscepi. Opus in tres Partes digessi: quarum primâ complector eas, quæ* PRINCIPIS *sunt; secundâ eas, quibus* BELLI-IMPERATOR *eminuit; tertiâ demum eas, quibus plurium* ECCLESIARVM ANTISTES *effulsit: vt si quis vnius alteriúsve ordinis ac dignitatis virtutes postulet, eas vnà habeat, nec cum fastidio passim mendicare cogatur.*

Libuit tamen singulis Partibus quædam Prolegomena præmittere, quibus fundamentum sterno enarrandis Virtutibus. Sed quâ hæc omnia fide acceperim, quâ prodam, quæris? certè maiore quàm meâ. Scribo calente adhuc LEOPOLDI *cinere; scribo ijs, quibus non tantùm in memoriâ, sed, propè dixerim, in oculis est* LEOPOLDVS. *Non me existima tam temerarium, qui prodire in arenam velim sine clypeo. Si proinde Cæsarea quandoque consilia, si Regis Catholici arcana ingredi videor; non crede inania vulgi figmen-*

ta. Nihil conſcripſi, cuius authographa non legerim: horum myriades ad manus habui. Quæ de rebus bello geſtis enarro, accepi eorum quà calamo, quà ore, qui & auctoritate primâ valent, & ipſi ſingulorum fuerunt ſpectatores. Neque me vnius dumtaxat fidei mancipium feci: centurias habeo, quas exhibeam. Sed eos, inquis, quorum ille affectus occupauerat. Quidni? Nam, qui eum non amarent, neminem inueni; & ſi quis fortè fuerit, latere amauerit. Nemo enim vult videri odiſſe, quod amant omnes, ne odijs ſe obijciat omnium.

Quæ demum de ijs Virtutibus profero, quæ hominum oculos effugiunt, habeo tum ipſo SERENISSIMI ARCHIDVCIS *ſincero chirographo, tum candido eorum teſtimonio, qui animi illius latebras omnes habebant perſpectas. Quibus quidem viuo* LEOPOLDO *ſilentij lex ſacroſancta fuit; ſed quibus mortuus id vnicum reliquit ſolatium, vt liberè tandem poſſent de* LEOPOLDO *loqui, & quæ obſtupeſcebant ipſi, aliorum quoque admirationi exhibere. Hæc tecum candidè & amicè: ſiue vt fidem tuam lucrer, ſiue vt meam non prodigam. Neque enim temerè te velim credere, nec ego ſcribere. Vale, & vbi vniuerſa perlegeris, ſelige quod imiteris.*

CEN-

CENSOR ORDINARIVS.

CVm in memoriâ æternâ mereatur esse iustus, & meritò in omnium verſetur memoriâ, cui non eſt timendum ab auditione malâ & rectè ſcriptis mandetur illius vita, cuius laudem, etiam poſt mortem ſemper enuntiabit Eccleſia: idcircò liber hic, cui eſt inſcriptio, Virtutes LEOPOLDI GVILIELMI Archiducis Auſtriæ, &c. Principis pace & bello inclyti, deſcriptæ à R.P. Nicolao Auancino Societatis IESV, *poteſt per typos prodire in publicam lucem, emitti in totum Orbem, & deferri ad omnium manus: vtpote in quo quælibet hominis ætas, nempe hic vir & ille puer, ſuam & ſe dignam videbit pietatem; atque omnis dignitas tam quæ in Sceptris fulget, quàm in Inſulis eminet, ſuas perſpiciet virtutes: reſplendet enim in Archiduce pietas rara, Principibus admiranda, Principumque filijs à teneris vnguiculis inculcanda, & per vitam totam imitanda. Deinde in belli Imperatore, Belgijque Gubernatore pro laureâ decertant reſidens in animo moderato prudentia, & in magnanimâ mente fortitudo, cuius vtriusque teſtis eſt & ſemper erit vtraque Germania; Inferior, cui profuit, quouſque præfuit, & Superior, pro cuius Imperio ſemper Auguſto tam ſtrenuè ſtetit. Denique in Eccleſiarum Antiſtite relucet ſingularis zelus, quo zelatus fuit pro domo Domini, in quâ ſolicitè egit vt Pater, vigilauit vt Paſtor, ſedit vt Epiſcopus* ſuæ domui benè præpoſitus, Eccleſiæ Dei diligentiam habens, & habens teſtimonium ab his, qui foris ſunt, *atque luculentiſſimum à viris & ſummæ dignitatis & primis Ordinis. Datum Antuerpiæ* XXX. *die menſis Auguſti, anni Domini* M.DC.LXIV. *1.Tim.3.*

Ioannes de Capua Canon. Theologalis
Cath. Eccl. Antuerp. Lib. Cenſor.

FACVL-

FACVLTAS R.P. PROVINCIALIS.

E*Go infrascriptus Præpositus Prouincialis Prouinciæ Austriæ Societatis* IESV,*ex potestate mihi facta à Reuerendo admodum Patre nostro Ioanne Paulo Oliua, eiusdem Societatis Præposito Generali, eam concedo, vt typis vulgetur liber, cui titulus:* Virtutes LEOPOLDI GVILIELMI Archiducis Austriæ, Principis Pace & Bello inclyti, descriptæ à Patre Nicolao Auancino Societatis eiusdem Theologo; *ab aliquot Theologis nostris priùs examinatus atque approbatus. In quorum fidem hisce manu meâ propriâ subscripsi, easque consueto Officij mei sigillo muniendas curaui. Viennæ die vigesimo mensis Septembris, anno* M.DC.LXIV.

FRANCISCVS PIZZONI.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS IV. Hispaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac potentissimus Belgarum & Burgundionum Princeps, diplomate suo sanxit, ne quis præter Balthasaris Moreti Ioannis Iunioris fil. voluntatem librum, cui titulus: *Virtutes* LEOPOLDI GVILIELMI, *à R.P. Nicolao Auancino, Tyrolensi, è Societate* IESV, *S. Theologiæ Doctore, & Professore Academico Viennæ, descriptæ*, vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impressum in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum & aliâ graui pœnâ multabitur; vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, die IX. Septemb. M.DC.LXIV.

Signat.

LOYENS.

PARS

TSVÆ BENEDICETVR. *Eccles: 1*



E VOS. 1. Macha: 2.

TIMORE D
In Scopulum inci
Subsiste, et
Ad hoc Sax
Ingentes Tit
dicam
Orbis mira
Mors all
ARCHIDU
ANTISTITE
BELLI-IMPER
serenissim
LEOPOLDVM GV
IMPERAT
FERDINANDI
FERDINANDI
LEOPOLDI I

TANDEM
de RELIGIONE et ORBE CHRISTIANO
præclarè meritus,
Magno sui relicto Mortalibus desiderio,
Æternùm memorandus
ARCHIDUX,
Verum Christianorum Principum
EXEMPLAR,
CoMpLeVIt DIes sVos
vigesimâ Nouembris.
Legisti hæc Viator? abi,
et
PRINCIPIBUS,
EPISCOPIS,
DUCIBUS
enarra.

PARS PRIMA.

LEOPOLDVS ARCHIDVX.


PIETAS
QVO DVCIT
AVORVM.

PARS PRIMA.

LEOPOLDVS ARCHIDVX.

CVm non id agam vt historiam contexam, quam meretur gloriosissimus Archidux LEOPOLDVS; *sed solùm vt eius Virtutes Orbi, ac potissimùm Principibus exhibeam: quia tamen hæ ipsæ fundantur in historiâ; per Prolegomena quædam priùs expendo ea, quæ seruire possunt exhibitioni Virtutum.*

PROLEGOMENON I.

LEOPOLDI

Parentes, Ortus, Pueritia.

MVlta à patribus, non pauciora à matribus in proles defluunt seu vitia seu ornamenta. Cæli benignitas est, eos obtinuisse parentes, à quibus cum sanguine trahatur & virtus. Publica quædam eximiæ virtutis præsumptio est, inde ortum ducere, vnde nihil nisi lympidum fluit. Et quamquam corona patris sit filius bonus; est tamen grandis filij prærogatiua, pater optimus. Natus est igitur Serenissimus Archidux ijs parentibus, quorum vel nomina sunt eminentis virtutis præsagia. Pater illi FERDINANDVS Archidux, deinde eius nominis Imperator Secundus, Princeps penitus secundùm cor Dei: in quo cùm omnia essent maiestatis decora, tum

Laus FERDINANDI SECVNDI, *patris Leopoldi.*

quæ in animum cadunt, longè fuerunt augustiora. Non enumero quæ priuatum efferunt: quæ Principem ornant, complexus est omnia. Magnificus illi de Deo sensus inextinguibilem Religionis zelum excitauit: hinc exscindendæ hæresis, adhuc adolescens, in æde Lauretanâ sacramentum dixit: idem Cellensi Virgini repetiuit. Quod vouit, egit etiam capitis periculo, in propriâ aulâ ab hæreticis infestatus. Sed qui nitebatur Deo, propè miraculo protegebatur. Auditus sæpiùs dicere, *Malle se Regnis ac Imperio renuntiare, cum coniuge & liberis solo scipione instructum ire in exilium, solo pane & aquâ vitam trahere, in frusta concidi ac discerpi; quàm iniuriam Deo & Ecclesiæ per hæreses illatam, in sibi subiectis Prouincijs diutiùs tolerare.* Apostoli hæc vox fuit, sed dignissima Austriaco Imperatore. Quæ eius operâ, Fidei restitutæ sunt, supra centies centena animarum millia numerantur. Sæpiùs pro Deo periclitatus, à suis obsidione cinctus, ab externis tantùm non dilaceratus, omnia aduersa in virtutis materiam traxit, vt vel superaret animi fortitudine, vel toleraret constantiâ. Quod gerebat animo, sæpè prodidit voce: *Domine, si est ad gloriam tuam & salutem meam, vt minor sim; humilia me, & ego glorificabo te: si est ad gloriam tuam & salutem meam, vt maior sim; exalta me, & ego glorificabo te.* Et verò exaltauit eum Deus super capita inimicorum suorum. Fridericum Palatinum profligauit; Bohemiam sceptro asseruit; Austriam purgauit; victricia arma toto Imperio circumtulit: sed duce virtute. Hoc enim & hostes professi sunt, *Se vnam Ferdinandi virtutem timere magis quàm numerosos exercitus.* Hoc Sultanus Barbarus contestatus est: *Ferdinandus sanctus est: Deus cum illo est, & pro illo pugnat.* Vt tamen nihil erat tam robustum, tam immane, quod eius animum deijcere posset; sic nihil erat tam secundum, tam felix, quod illum valeret impo-

impotenter eleuare. Vtriusque sortis Dominus, coëgit vtramque in virtutis obsequia. Religioni propagandæ fundauit Gymnasia, instituit iuuentuti Seminaria, erexit Collegia, induxit Religiosos, quos & amplissimè dotauit; restituit Ecclesias, locupletauit Episcopatus. Libet aliarum virtutum solùm apices tangere, vt aliqua ducam filij lineamenta. Deo fisus & magnanimus, si quisquam alius Imperator: in Eucharisticum Deum non minore quàm Rudolphus pietate, equo desilijt, per publicas plateas ad ægri casam, inde ad templum, per cœnum & lacunas comitatus: Virginis Deiparæ, adusque suæ Maiestatis deiectionem, venerator: Sanctorum Cælitûm assiduus cultor, & imitator: æquitatis vindex acerrimus: sapientiæ æstimator & promotor: virtutis remunerator: in egentes ac verecundos pænè profusus: omnibus mitis & affabilis, sibi vni rigidus, qui purpurâ adiacentem corpori saccum tegebat, qui flagris se, ad virtutis apicem adigebat, qui cibi potusque mensuram, necessitatis lege definiebat, nihil voluptati indulgebat. Iustus in reos, qui spem ponendi malum ademissent; clemens in eos, quibus vel priora suffragarentur merita, vel spes superesset futurorum. In rerum turbinibus immotus animo; in summâ dignitate submissus, in summâ potestate moderatissimus: venerationi suis, terrori hostibus, amori Cælitibus; verbo, omnium virtutum Imperator.

Commendatio MARIÆ ANNÆ *Bauaræ, Leopoldi matris.*

Hoc patre genitus, matrem habuit MARIAM ANNAM, Guilielmi Comitis Palatini, vtriusque Bauariæ Ducis, ac Renatæ Lotharingiæ Ducis filiam, quæ imbibitam cum lacte pietatem, pænè in naturam traxit. Iam inde à teneris annis, vnicæ illi voluptates erant DEVS & MARIA. His illa, etiam adulta, aras struere, insternere præsepia, adornare sepulchra; integras quotidie horas, præ-

præter ſolitum plurium Miſſarum penſum, impendere: hos adorare, cum his,& Cælitibus, clàm ſuis domeſticis, deliciari; horum vitas & geſta percurrere, meditatione digerere, imitatione exprimere. Hinc vanitatis odium, fuci, mundíque muliebris (cui aliàs hic ſexus plerumque obſtringitur) generoſus contemptus; vt nihil ad ornatum admitteret, quod vanitatis ſpeciem præ ſe ferret: frequentior, vbi per humanitatis leges concedebatur, ſeceſſus, Euchariſtici Dei ſalutatio repetita: hinc ſuæ, cum diuinâ voluntate, mira conformatio, quà iuxta habebat commoda & incommoda, ſolatia & mœrores; ſatis conſcia, quod ſuâ non proueniſſet voluntate, id totum optimâ Dei diſpoſitione ordinari. Vnde primò ſecundóque genitæ prolis mortem puerpera ita accepit, vt materni affectus oblitam crediſiſſet, qui eam ſecundùm hominem æſtimaſſet, non ſecundùm id, quo illa decernenti ac omnia verſanti Deo aſſentiebatur. Atque hæc cum Deo conſpiratio, conſtituit eam duorum affectuum dominam; quod in femineo ſexu, cui inſuper adblanditur dignitas, inſigne eſt fortis animi argumentum: nihil in verbis aſperum, nihil in aſpectu ſeuerum, nihil in animo turbatum vmquam, quo mentis vultúſve ſerenitas obuolueretur: eadem ſemper in fronte amœnitas, in oculis gratia, in alloquio benignitas, in geſtu tenor, conſtantem interioris hominis malaciam prodebant. Fortis, apud Salomonem, mulieris ingreſſa laudes, *manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem.* Horum turbas non tantùm alere viſa eſt, ſed alendas venari, eo ſanè vultu, quo inopi Chriſto impendiſſet. Sed in eos, ei cura & vigilantia maior, quibus ſua egeſtas eſt verecundiæ; quorum neceſſitati, citra pudoris diſcrimen, ipſa clàm ſtipem ingerebat. Quantâ verò in alios ferebatur chari-

charitate, tanto in ſeipſam credi potuit odio exarſiſſe: nam quamuis eſſet conſtitutione corporis admodum debili, eaque per aſſiduas ægritudines afflictâ, admouebat tamen illi (ſiue placando publicis ſceleribus Deo, ſiue eluendis ſuæ innocentiæ maculis) ſæpiùs piam, per flagra, crudelitatem; emacerabat inediâ, vt vix medici conſilium admitteret, niſi & animæ arbiter imperaret. Verbo, Princeps, quam vt viuentem ſuſpiciebant omnes, ſic mortuam omnes deſiderabant.

Ex vtroque nati LEOPOLDI *encomium.*

Illo ergo Parente genitus, hac Matre natus eſt LEOPOLDVS Neapoli Auſtriæ (vulgò Neoſtadij) anno ſalutis 1614. quo tempore Ferdinandus Parens, Imperatoris Mathiæ nomine hereditarias Prouincias gubernabat; die Epiphaniæ Domini, eo ipſo nempe quo olim per Innocentium VIII. LEOPOLDVS Auſtriæ Marchio Sanctorum Albo eſt adſcriptus; vt non tam cognati ſanguinis deſiderio, Leopoldi nomen ei impoſitum eſſe videatur, quàm munere ſingulari Dei, nouo Auſtriam donare volentis Leopoldo. Sacrum fontem affundente Alphonſo Requeſenio Epiſcopo Roſonenſi, Imperatoris Imperatricìſque nomine leuauit infantem Paulus Sixtus Trauthſon, Comes à Falkenſtein. Optimæ matris educatione poſt biennium priuatus, traditus eſt earum matronarum inſtitutioni, quæ proximè virtutem matris aſſequerentur: ab his in Leopoldo primæ pietatis ſcintillæ accenſæ, cum honeſtatis virtutiſque amore; quarum ille inſtitutionem ita audiebat, vt vel ſemel dixiſſe ſufficeret, quod in omnem vitam obſeruatum vellent: ita ille in bonum pronus, vt ſemel doctus, monitore ampliùs non eguerit. Principio igitur in Deum, in Diuam Virginem, in Angelum Tutelarem, in Sanctos inſtillata deuotio, à pueronon tantùm capta, ſed voluptati habita. Hinc puerilibus reiectis crepundijs,

pundijs, vnum illi oblectamentum erat audire, ſi quæ recenſerentur hiſtoriæ, ac potiſſimùm de puero IESV, de Virgine Deiparâ, de Angelo Cuſtode. Quàm verò pias narrationes amabat, tam deteſtabatur profanas. Preces, ſeu diurnas, eaſque frequentiores, ſeu ad ſacra myſteria, eâ totius corpuſculi compoſitione, ac oris oculorumque modeſtiâ peragebat, vt venuſtâ ſpecie Angelum referre videretur contemplantibus, quos vel admiratione ſuſpendebat, vel ad pietatem exemplo inuitabat. Munuſculis (quorum amans præ ceteris eſt pueritia) ijs capiebatur, quibus aliquis pietatis ſenſus ingereretur. Experiri id placuit Sereniſſimo Parenti non ſemel, qui ſeu ſplendida ſeu pretioſa, & ſimul ſacra optioni daret, citra ambiguitatem in ea inuolare vidit, quæ Dei aliquid ſapiebant, eaque tenerè exoſculari. Iam tum pijſſimus ipſe Parens ita pietatem filij æſtimare, vt bellorum, quibus premebatur, difficultates ſæpiùs innocenti ſuo Leopoldo commendaret: quod & liquido animi guſtu, & ardente feruore à Leopoldo præſtitum eſſe, & gynæceum, à quo regebatur, & Doctor Elias Schiller, qui poſteà ei primarum ac humaniorum litterarum formator datus erat, luculenter atteſtati ſunt. Cum pietate ſimul indolem Principis oſtendebat; deteſtabatur leuia, amabat honeſta; promouebat ea puer, quæ ſenſu ac ſapientiâ æquabant ſenem. Clementiæ ac liberalitatis præludio, veniam quotidianis ſeruorum reatibus orabat; & quidquid ſuppetebat, liberaliter egenis erogabat.

PROLE-

PROLEGOMENON II.

Adolescentia & studia.

ETsi inter naturæ ornamenta magnum sit Dei donum, felicem nasci; præstantius tamen est, & suis & alienis Moderatorum impendijs, per doctrinæ, omnisque honestatis semitam ad felicitatem eniti. Quod dedit natura bonum, si ducem adimas, sibi relicta detorquet in malum; eò faciliùs, quò excelsitas sanguinis magis blanditur ad libertatem. Succrescunt affectus in adolescente, qui numquam se prodiderunt in puero; versantur motus, eò celeriùs, quò mens capacior: qui nisi Moderatoris vel dexteritate præueniantur, vel prudentiâ opprimantur, viuace in suam perniciem flammâ se exhauriunt. Fortunatissima in hoc Principum est conditio, præsertim eorum, qui parentes sortiti sunt cæli boniquc publici amantes, quibus semper in facili est electio viri famâ integerrimi, virtute inclyti, multarum rerum notitiâ præstantis; Aulæ periti, sed in Aulâ incorrupti; ingenio moderati, prudentiâ maturi, congressu affabilis, mente compositi, & omnium approbatione laudati, quem suis prolibus, seu morum, seu virtutis ac studiorum Magistrum præficiant. Atque talem censuit Ferdinandus Illustrissimum Baronem de Thun Equitem Melitensem, cuius directione iam educabatur Ferdinandus Ernestus, eâ parentis voluptate, vt eius etiam curæ gynæceo exemptum Leopoldum concrederet: talem ad obeundum præceptoris munus æstimauit Doctorem Eliam Schiller, à quo & Ferdinandus frater erudiebatur; qui se Principibus instruendis natum probauerat. His igitur probatissimæ virtutis viris concreditus est Leopoldus

Vis educationis bona.

Nouennis LEOPOLDVS gubernatori & praeceptori committitur à Patre.

nono ætatis anno, vt à teneris assuesceret, præter sapientiam ac virtutem nihil vel videre vel audire. Sed vbi ad tertium decimum ætatis annum pertigit, vt singulari suâ Aulâ instrueretur, à Ferdinando Ernesto separatus, Moderatorem sortitus est Illustrissimum Baronem Georgium Sigismundum ab Herberstein, virum Aulæ peritum, cui mores sine auaritiâ, mens sine ambitu, fortuna sine tumore; qui, gubernatâ in biennium sui Principis vitâ, occupatâ inde singulari Cæsaris gratiâ, humanorum fastidio, æternorum amore elegit abiectus esse magis in domo Dei, quàm cum affluxu fortunæ periclitari de felicitate: quare bonâ Cæsaris veniâ, egressus Aulâ, sancti Dominici Ordinem ingressus, tanta breui annorum spatio, quo Theologiæ studijs vacabat, & prudentiæ & religiosæ vitæ exempla edidit, vt deinceps sæpiùs aut singularis Domicilij religiosi Prior, aut totius Prouinciæ caput fuerit constitutus. Huic igitur suffectus est Illustrissimus Comes Sebastianus de Lodron, eo tempore mancipatus Ecclesiæ, deinde verò Gurcensi Infulâ honoratus; quem eo potissimùm nomine (cùm cetera quæ ad tantum munus desiderantur, teneret omnia) Leopoldo præstituit Ferdinandus, quòd filij inclinatio ad Ecclesiasticum statum propendere plurimùm videretur; atque etiam ipse id tam ad Dei maiorem gloriam, quàm ad Serenissimæ Familiæ vberius emolumentum facere existimaret. Qualis ergo tam præclaræ indolis, tam omnis boni auida, sub tam eximijs laudatisque viris, educatio Leopoldi fuerit, cùm præsertim tam pij parentis quotidiana oculis obseruarentur exempla, facile erit vel ipsa nomina audienti penetrare.

Deuenerat ad Gregorium XV. Romanum Pontificem tam bonæ, & ad orbis admirationem præclaræ edu-

educationis fama; at ille, qui Ferdinandi parentis perſpectum habebat genium, *Qui*, inquit, *fieri poſſit, vt non quàm optimè educentur filij tam ſancti Imperatoris?* Nec minor optimi parentis cura fuit, vt eos ſtudiorum Directores filio attribueret, qui eſſent affectu in alumni eruditionem propenſo, non nimiâ ſedulitate onerosi, qui ſuggererent vtilia, non ingererent ſuperflua; qui non placerent indulgentiâ, ſed prodeſſent vtilitate; qui exemplo vitæ omnibus prælucerent. Quare poſtquam manſuetioribus muſis, non ſine annuâ iudicum nihil blandientium approbatione, ita ſe excoluiſſet, vt Latino ſermone tam promptè loqueretur, quàm materno, & etiam elegantiùs ac neruoſiùs ſcriberet; tres ei è Societate IESV Sacerdotes, Ioahnes Mercurianus, Laurentius Clapperinus, Henricus Philippi, attributi ſunt, à quibus Philoſophicis ac Mathematicis diſciplinis imbueretur; quibus cùm vacaret, & captu facilitatem ingenij, & difficultatum penetratione acumen non ſine præceptorum admiratione probauit; cùm non tantùm eos Illuſtriſſimæ proſapiæ filios, qui ad excitamentum Leopoldi ſub eodem Magiſtro, ab Auguſto parente aſſumpti erant, longè ſuperaret; ſed eas frequenter moueret quæſtiones, quæ non niſi à verſatiſſimis in eo ſtudio veteranis prodire ſolent. Memoriâ erat felice, & acceptorum tenace; iudicio prudente ac prouido, magnarumque cogitationum capace. Cùm id ſtudium ad medium deduxiſſet, dubiuſque hæreret Ferdinandus ad Imperij Comitia Ratisbonam profecturus, an filium Leopoldum vnà ducere expediret; miſit Neoſtadium (vbi tunc à paternâ Aulâ ſeiunctus educabatur filius) Cardinalem Vrſinum, vt filij tam morum quàm ſtudiorum caperet experimentum: qui deinceps retulit, Leopoldum eâ eſſe morum maturitate, diſcurſus

A Pontifice commendatur.

Philoſophicis ac Mathematicis præceptionibus imbuitur.

prudentiâ, actionum compositione, vt non tantùm honori, Augustissimo Parenti futurus sit in augusto illo Principum congressu, sed etiam omnibus admirationi.

Regnis hereditarijs gubernandis præficitur à Patre.

Hæc ipsa nullo fuco illita commendatio permouit Imperatorem, vt Leopoldum potiùs hereditarijs Regnis ac Prouincijs gubernandis præficeret, à quo non dubiè sperabat & populorum solatio, & communi bono consultum iri: ideoque Neostadio Viennam reuocato, eam Prouinciam imposuit; quam ille ita gessit, vt se, redux Cæsar, eam imposuisse sit lætatus; adeò omnem attigit gubernationis apicem, quem Augustus parens designabat. Intereà Philosophiæ emensus stadium, priusquam Politicæ ac Iuris prudentiæ admoueretur, voluit Augustus parens, annuus sedulitatis exactor, eum, se præsente, audientibus intimi Consilij Proceribus, ac numerosâ nobilitate, opponentibus Societatis IESV Patribus, Theologiæ ac Philosophiæ Professoribus, impensi in vniuersam Philosophiam temporis & operæ specimen edere: quod eâ facilitate, promptitudine, ac ingenij iudicijque limpiditate præstitit, vt non tantùm ab ijs, qui hæc pridem studia seposuerant; sed etiam ab ijs, qui in eorumdem æstu versabantur, communem eamque eximiam commendationem admirationemque retulerit. Ita solet rapere omnes Princeps sapiens.

Theses Philosophicas publicè propugnat.

Tum verò pari auiditate, præcipiente Martino Zantino Societatis etiam Sacerdote, ab Vniuersitate Pragensi euocato, & capacitate pari exhausit ea, quibus nituntur Principum gubernacula, priorum temporum historiam, Politicen, Iuris prudentiam, ac laudatissimorum Cæsarum rescripta ac decreta, & pari cum ætatis progressu certabat eruditionis augmento. At, quod in vegeto facilique ingenio perrarum est, numquam operâ præposterè laboriosâ, ad non profutura detortus, ijs inhæ-

Iuris & Politicæ prudentiæ studet.

inhærebat constanter, quibus Principes ad belli pacisque artes, publicæ vtilitati formantur. Otium naturæ quodam ductu detestatus, ne quid temporis elaberetur futilibus, occupabat honestis, quæ vel excolendæ menti seruirent, vel corpori ad obuenturas bellorum molestias indurando. *Honestis & generosis exercetur.* Exercebatur, ad faciliora olim cum Principibus commercia, discendis linguis, quibus animum adiecit, ad perfectionem tenuit. Lusibus dabat aliquid, non quibus marcescit natura, sed quibus adiuncta commotio consolidat neruos: aliquid regendis equis, venatui aliquid; aliquid tractandis armis, quibus insigni, quam deinde probauit orbi, fortitudini prælusit. His ita ad omnem Principis apicem formatum, cùm annum exegisset ætatis vigesimum secundum, placuit Augusto parenti, ad celebranda Imperij Comitia, Regemque Romanorum Electorum Collegio FERDINANDVM III. proponendum recessuro, iterum moderandis suis Prouincijs Leopoldum præstituere: *Iterùm gubernationi præficitur.* quod ille munus eâ sustinuit in consilijs maturitate, in sententijs pondere, in responsis prudentiâ, in actionibus auctoritate, vt cuius ante quinquennium artis, gubernandi primum veluti tyrocinium posuerat, iam magisterium exhiberet, vnaque omnium vox esset, felicem fore Rempublicam, cuius olim gubernacula moderaretur Leopoldus.

PROLEGOMENON III.

In Parentem, Fratrem, Sorores, Nepotes, & Nouercam officia.

Obseruantia LEOPOLDI in Patrem.

Filiorum in parentes amorem ac reuerentiam natura inserit, sed virtus excolit, & facilè à filijs impetratur, in quos paternus genius transfunditur. Ad nutum parentis factus, imperijs non indigebat: certè ea non expectabat, vbi ex oculi nictu percipere voluntatem licebat. Extat sanè adhuc in plurium memoriâ Ferdinandi genitoris testimonium, in Leopoldum numquam ad obsequendum impulsu, numquam repetito iussu, numquam correctione aut verbo asperiore opus fuisse: quin huius auctoritatem in Moderatore, in ipso literarum Magistro agnoscebat. Tulit aliquando venantis adolescentis ac feram persequentis æstus, vt equo in agri segetes inferretur; hîc qui adolescentis vitam moresque gubernabat, inclamare: *Serenissime Princeps, id non licet, reponendum erit rustico damnum quod segeti infertur.* Tum ille, represso momento cursu, tamquam Diuinæ aut paternæ voci est obsecutus. Dubites an generosa magis fuerit monentis libertas, an submissa magis audientis obseruantia.

In Moderatores.

In Nouercam.

In Nouercam Eleonoram nihil priuigni exhibuit, cùm illa vicissim matris officia præstaret, cumque siue ob reuerentiam quam experiebatur, siue ob amorem quem merenti impendebat, Beniaminum suum appellaret; quæ res singulari quadam voluptate Ferdinandum II. afficiebat; ita enim Virtutum eius & scriptor & spectator Pater Guilielmus Lamormaini cap 10. notat: *Iucundissimum illi accidit videre à filijs suis Eleonoram coli vt matrem; vicissim ab hac illos diligi vt filios.* Quare quantum eius consilijs, etiam

etiam exercitibus præfectus, deferret, semper est testatus. Litteras, quas ab eâ accipiebat remotus, priùs reuerente osculo venerabatur, quàm solueret: ægrotanti vel assidebat præsens, semper opportunus recreator, vel absens per litteras solatium, aut per procuratas piorum preces auxilium impendebat. Quid amoris aut obseruantiæ impensurus fuisset matri, qui ea argumenta in Nouercam exhibuit, facilè statues.

Eiusdem obseruãtia in fratrem primogenitum FERDINANDVM III.

Fratris FERDINANDI III. amori sua seque ipsum ac vitam impendit. Primus fuit, qui Maioratus iura in Domum Austriacam induci, in fauorem maioris natu Fratris cum gaudio sustinuit, ac suæ manus subscriptione, omni iure in hereditarias Prouincias cessit. Fratri vt obseruantiam amoremque testaretur, bella periculosissimis temporibus gerenda iteratò suscepit, gessit non vno sui capitis discrimine, vti fusiùs secundâ Parte differemus; ad ea ipsa cum fructu sustinenda, suos ipse census impendit: nec fortunâ corruptus, eâ fide & integritate constitit, quâ firmiorem nec Theseus à Pirithoe, nec Scipio à Scipione exigere possit. Nihil bello, nihil pace agebat, quod Augusti Fratris consilio & approbatione non niteretur: huius auctoritati deferebat, si quid vel à Catholico Rege, vel à suis Capitulis impetrandum foret, quamuis non ignoraret, id sui ipsius amori non denegandum.

Denique quia natura non habet robustiora signa, quibus amorem loquatur, quàm lacrymas; has, quamquam Principes dissimulare connituntur, in Ferdinandi obitu, quaquâ violentiâ oppositâ, continere non valuit; quin, veluti rupto alueo, copiosè erumperent; vt quod de lacrymante Christo ad funus Lazari dictum fuit, dicere possis de Leopoldo ad Fratris cadauer, *Ecce quomodo amabat eum.* Ioan. 11.

Item in Sorores.

In Serenissimas Sorores, Annam Mariam Maximiliano

 Duci

Duci Bauariæ, Cæciliam Renatam Vladiſlao Poloniæ Regi, matrimonijs locatas, amorem, quem ingerebat ſanguis, geminabat virtutum conſideratio, quæ & rerum conuenientiam addebat, & ſtabilitatem atque conſtantiam: harum congaudebat gaudijs, condolebat doloribus; in omnem fortunæ ſocietatem veniebat. His, quia ſupra ſexum arcani tenaces non ignorabat, detegebat animum, communicabat conſilia, & omni fraterni amoris ſignificatione occurrebat.

Tum in Nepotes. In Sereniſſimum Nepotem, nunc Auguſtiſſimum Imperatorem LEOPOLDVM quis amor? quæ reuerentia? amor in Archiducem, qui paterno nihil concederet; in Cæſarem obſeruantia, quæ toti Aulæ exemplo eſſet. Peruenerat tam Cæſaris quàm ad Archiducis aures, eſſe qui mutuum illum Principum amorem imminutum, aut fortè ſolutum deſiderarent, quò expeditior illis ad alterutrius affectum occupandum via pateret. At Imperator: *Fruſtrà eſt* (inquit) *quiſquis hoc agit: nemo nos vmquam ſeparabit.* Archidux verò: *Firmius* (inquit) *eſt vinculum, quo Imperatori ſtringor, quàm vt ſolui poſſit* Nec horruit ſe contagioni morbillorum, quibus Imperator laborabat, exponere, quia vis amoris aditum imperabat: imò ſuadentium hortantiumque Medicorum conſilium non audiuit, cui neruoſioribus argumentis loquebatur affectus: ſed & ſuauis fuit contracti morbi tolerantia, cuius dolores leniebat recordatio cauſæ tam honeſtæ. Quæ alibi perſequor Sereniſſimi Leopoldi ſtudia, ad impetrandam Regi Leopoldo Coronam Imperij, tantum ſunt amoris argumentum, vt, præter mortem, addi nihil poſſit; quam & ipſam, ſi neceſſitas eo viuo poſtulaſſet, non minùs periculis expoſuiſſet, quàm vel pro Auguſtiſſimo fratre, vel pro Rege Catholico expoſuerat.

Vt

Vt Auguſtum Nepotem adhuc adoleſcentem paterno, ita Sereniſſimum alterum Nepotem Carolum Ioſephum Archiducem adhuc teneriorem, omnino materno affectu complectebatur. Frequens acceſſus, frequentior ad virtutem & ſapientiæ ſtudia adhortatio, palàm priuatimque exhibitus honor, oblata munera, litterarum commercium, exhibitum in morbis ſolatium, minima ſint in Carolum Ioſephum amoris argumenta; id verò maximum, cùm mors alia præuerterit, quod quidquid erat, quidquid habebat, Caroli Ioſephi eſſe voluerit. Epiſcopatus quà licuit, auctoritate Apoſtolicâ ceſſit, magnum Teutonicorum Ordinis Magiſterium procurauit; heredem inſtituit, totum ſe in Carolo Ioſepho ſupereſſe deſiderauit; & aſſecutus fuiſſet omnino votum (vt indoles Caroli dabat) niſi & hunc florem grandia promittentem, humanis ſpinis eripere optimo Deo placuiſſet.

Pro Rege Catholico PHILIPPO IV. exantlati in Belgio toto nouennio labores, tot vrbium ductæ obſidiones, tot ciuitates recuperatæ, tot Prouinciæ aſſertæ, tot vitæ diſcrimina imperterritè adita, tanta exercituum obſequijs Regijs conſeruandorum cura, tanta in omnem partem ad promouenda eius bona vigilantia, quam æternâ memoriâ loquetur Belgium (quæ omnia ſecundâ Parte commemoro) ampliſſimum eſſe poſſunt amoris, obſeruantiæ, ac fidelitatis argumentum. Ne addam tot ad Regem expeditas litteras (quas non leuiter ex arcanis inſpexi) quibus bona, vitam, ſanguinem, non fucato, ad ſæculi morem, quem naturâ horrebat, ſed ſincero candidoque affectu offerebat. At fuit, qui vel tam candidi animi ignarus, vel hunc peruertere ſe poſſe nimis audacter arbitratus, litteras ei exhibere præſumpſit, quibus à Gallis & Fœderatis ingentia promiſſa, protectio, armorum omne

Denique in Regem PHILIPPVM IV.

subsidium promittebatur, si Belgij gubernationem susciperet, & contra Regem Catholicum in fœdus veniret. Id verò Archidux negato homini accessu, primùm Imperatori coràm (nam adhuc Viennæ agebat) deinde per hunc Hispaniarum Regi aperuit, detento interim in vinculis homine perfido, ac deinde Regis iussu in Italiâ debitis pœnis subiecto: relicto tamen nomine, quàm Serenissimus Archidux fuerit Catholico Regi fidelis.

C A P V T. I.

Teneriores adolescentiæ virtutes, maiorum & heroicarum semina.

NOn est hîc mens, singularum virtutum actus aut argumenta prodere; hæc enim posterioribus reseruo, sed præludia solùm quædam solidarum virtutum exhibere. Solet enim, veluti ars per tyrocinium magisterij; ita natura per promicantia quædam insignioris indolis specimina, maximorum, ad quæ euasura est, indicium dare. Fuit itaque in Serenissimo Archiduce, qui omnis sapientiæ boniq́ue auspicium est, *Timor Dei*, vt quidquid oleret peccatum, à puero horreret; hunc vt medullis infigeret altiùs, vt secuturæ vitæ actionumq́ue haberet directorem, Symbolo suo lemma adscripsit, *Timore Domini*. Ac vbi alij vniuscuiuspiam heroicæ laudis monimentum suâ epigraphâ circumferunt; Leopoldus non vnâ contentus, singularum tamen auidus, id sibi delegit, quo omnes fundarentur: quo auspice doceretur, cetera, quæ futuris bellis oblatura sese essent pericula, nihil formidare.

Timor Domini.

Hunc secuta est *Pietas*, licet adhuc tenera; non vulgaris tamen quæ nasceretur in labijs, sed quæ prodiret ex animo, & non dubium exhiberet fundatæ in Deo mentis argu-

Pietas in Deum.

argumentum. Hâc Chriſtum Deum in Euchariſtico pane, Dei Matrem, vt puer didicit, adoleſcens tenerrimè eſt complexus: huic ſuas dabat quotidie horas, hanc frequentiore cæleſtis epuli ſumptione nutriebat. Eius verò ſitus, oculorum modeſtia, venerabunda corporis conſtitutio ea erat, vt cùm de exprimendo coloribus Leopoldo ageretur, vnanimis omnium conſenſus fuerit, eâ ſpecie pingendum eſſe, quâ Diuinum Epulum vel ſumebat, vel adorabat; quod nihil oculis delectabilius accidere poſſit.

Verecundia.

Verecundia (quæ quamquam à Philoſopho non cenſeatur virtus, eſt tamen virtutis index, cùm ex alto rubor ſuffunditur) ea erat, quæ innocentiam probaret non tantùm ingenuâ vultus erubeſcentiâ, ſed aſpectu, ſermone, geſtu, ac toto corporis habitu, morumque compoſitione, quo neminem non ſui amore afficiebat. Fuere qui & dormientem ſpectare ſæpiùs voluerunt, quòd eo compoſitum geſtu reperirent, qui Angeli ſpeciem ingereret: quod in ſequentem deinde ætatem tam conſtanter tenuit, vt Marchio de Lede, eius in Belgio Camerarius, teſtatus ſit, iucundiſſimum ſibi accidere ſpectaculum, quoties Sereniſſimum ſuum Principem è matutino ſomno excitandi contingeret felicitas, quod eum ſemper reperiret inſtar Angeli quieſcentem. Verecundia, cùm ingenua eſt, eſt & innocentiæ propugnaculum, caſtimoniæ nutrix. Ob huius opinionem & ab Auguſto Parente, & conſcientiæ ſuæ arbitro Martino Becano Sacerdote Societatis IESV, qui primam & ſubinde ſecutas innocentis eius vitæ confeſſionem audiuit, & à totâ Aulâ nomen Angeli obtinuit adoleſcens, quod deinde etiam vir non amiſit.

Caſtimonia.

Inſigne ſolicitudinis in *Caſtimonia* nitorem intentæ argumentum, quod Auguſta Eleonora de ſuo priuigno

 recen-

recensuit. Erat puella nobilis ab obsequijs Eleonoræ; illi ob cultos mores & agendi gratiam supra ceteras accepta: quia amabatur à Nouercâ, sensit castissimus adolescens naturalem tantùm sibi affectum pulsari. Hinc interior metus & angustiæ, quæ culpæ sollicitudine inquietam reddebant Leopoldi innocentiam: ergo precibus sollicitare Deum Diuamque Virginem; pijs exercitationibus instare, vt illa animi inquietudo tranquillaretur.

• Visus sibi per somnum videre famosum illum & sanctitatis opinione celebrem, Aulæque olim notum virum Dominicum à IESV MARIA Carmelitam, ac monentem audire: *Animi tui molestiam* FERDINANDO *parenti manifesta, & placatam senties tempestatem.* Stetit seu somnio seu vaticinio fides; nam ex quo monenti obsecutus, cessit affectus, licet non reus, & pristina animo quies est restituta.

Affectus in viros Religiosos. Religiosos omnes, licet habitu ac professione discrepantes, vno tamen communique affectu complectebatur: eorum consuetudine delectabatur: puer, ad aduenientes accurrebat: adolescens, dum licuit, ad eorum ædes inuisit, amico commercio detinuit; visus semper diuina promentes cum gustu audire, ac eis sæpiùs comprandere; sæpiùs deosculatus eorum vestes, obuios deuelato capite veneratus, affatus sine tumore, etiam dignissimis semper titulis honorauit: de ijs semper magnificè locutus: quæ miscerentur in famam dicteria non audiebat, aut refellebat.

Moderatio in victu. *Victus temperantia* prandenti cœnantique assidebat. Cibus illi parabilis ac vulgatis, quamquam mensa esset augustâ maiestate condita. Vini vsus in omnem ætatem modicus, & vix nisi ex lege Apostoli admissus.

Patientia in morbis. *Tolerantiâ* in morbis maiore quàm soleant esse adolescentes, patientis Dei tormentis suos digerebat cruciatus. Nullæ illi etiam puero querelæ, nulli gemitus, nulla pharmaco-

macorum nausea, nulla in seruos molestia, promptum in Medicos obsequendi studium, quibus & id aliquando dixit: *In manu Dei & tuâ sum: fiat quod Deo placet; ego faciam quod tu iußeris.*

Vultu semper eodem seruorum incuriam & diligentiam aspexit, dum in Deum culpa non accessit: animo nihil commotus, si minùs prompti adessent ministerio; asperitate verborum numquam armatus. Ita placida sunt à teneris, quæ per ætatem ad ea tendunt, quæ non mouentur. *Etiam aduersum seruos.*

Liberalitatis legi subiecit pænè omnia quæ habuit. Hoc nomine eum præfatus Baro, nunc R. P. ab Herberstein, Principem suum Leopoldum alterum Ferdinandum II. appellabat: cuius cùm in omni vitâ, tum in munificentiâ, vestigijs insistebat; neminem petentem arcuit, neminem sine solatio dimisit. Monitus aliquando, cùm supplici auxilium præberi iussisset, in ærario parum superesse, respondit: *Quando nihil amplius supererit, propriam meam vestem indigentibus dabo* Hoc verò est non tantùm Archiduce, sed etiam sancto LEOPOLDO Marchione dignum, qui vsque ad vestes ærarium in egenos exhausit. *Munificentia.*

Tria hominum genera & naturæ & virtutis instinctu auersabatur, mendaces, adulatores & impudicos; veritatis ipse, candoris ac puritatis amantissimus. Mendaces constanter diaboli filios appellabat, turbandis Aulis & hominum commercio natos. Cùm, vt solent serpere & quandoque Principum auribus ingeri Macchiauelli dogmata, ad boni Legati dotes requiri audiuisset, vt is probè & per artem mentiri sciat: *At* (inquit) *nec vt mundus vniuersus saluti aßeratur, vel leue mendacium est proferendum. qui ergo vel ad mandatum, vel ad emolumentum Legantis mentiri licebit?* Adulatores Principum pestem appellabat: tantò *Odium peccatorū, præsertim trium.*

nocen-

nocentiorem, quantò magis per blandimenta afflat venenum: alitur enim improbitas Principis dum laudatur, &.cùm ſemel ſe placuiſſe credit, euadit audacior: aliàs impoſtores vocabat, qui quos moleſtis ornant laudibus, taciti execrantur: aliàs canes dicebat, qui eſcam offerentibus blandiuntur, negantibus oblatrant. Impudicos nec aure nec oculo dignabatur: ſumma Principis offenſa erat, protuliſſe verbum quod caſtæ auri eſt offendiculo. Iam tunc ſtatuit, cùm ſui iuris fuerit, à ſuâ Aulâ exilium procacibus, & neminem ad ſua obſequia admittere, qui mancipium eſſet turpitudinis. Ex his, velut ex auroræ puritate ſerenitatem diei, totius reliquæ vitæ à Leopoldo traductæ, facile erit argumentum ſumere: ſolet enim & adoleſcentia maturioribus annis præludere.

CAPVT II.

Pietas in Deum.

Pietas LEOPOLDI in Deum penitius expenſa. Pietas Principum alia publica.

PIetas Principum felicitatis auſpicium eſt: non illa quidem vulgaris & deiecta, quæ coactum ſcrupulis in anguſtias animum frangit, aut quæ ſeceſſum omnem à turbâ poſtulat, & à mundo exilium: negotioſiſſima enim eſt Principum vita, & veluti vſura ſolis: res quædam publici Iuris, quæ nec tenebris aut latibulis eos inuolui patitur, nec agendi, publiciſque rebus ſeruiendi libertatem animi nodis implicari. Sublimior ergo eſt Principum pietas, quæ magnifico quodam de Deo ſenſu continetur: vt cùm ſe ſupra ceterorum hominum conditionem eminere intelligunt, agnoſcant tamen eſſe Numen aliquod, cui ipſa eorum Celſitudo ſit ſubiecta: & quam exigunt à ſeruis in ſeipſos reuerentiam, cultum, & obſeruantiam; eamdem ſuis capitibus imminenti Deo impendant;

dant; ita agant humanà, vt hæc erigant ad Diuina; ita operentur omnia, vt primùm detineantur honestis; his deinde honestos fines præstituant, & intra rectarum circumstantiarum cancellos coërceant: quo fit, vt vltra hominem assurgant quæ agunt, & ad Dei cultum transcendant. At quia hæc, velut omnis præclaræ actionis radix, in abdito latet, nec sub hominum aspectum cadit; non est tamen & illa pietas à Principe omnino proscribenda, quæ suis prælucet exemplo, &, quoad impositæ à Deo curæ permittunt, per stata tempora, sibi cæloque vacaturus secedit. Cùm verò ea quæ prioris sunt rationis fusiùs tertiâ Parte exigam, ea hîc solùm, quæ secundi sunt generis, commemorabo.

Suppone tamen, quam ibi obstupescas, miram Leopoldi cum Deo coniunctionem, eius gloriæ sitim, exspoliationem affectuum omnium, eorumque plenam in Deum transfusionem. Iam ergo nulla illi negotia solitum cum Deo matutinis vespertinisque horis commercium præpediebant. Si ad auroram inquietudo belli pulsaret fores, iam eum instratum genibus cum Deo partientem curas, deque agendis paciscentem reperiebat: vt enim publicis diei tributis nihil adimeret, diem præuertebat vigilijs; vt nihil Deo detraheret, somno adimebat. *alia priuata:* *Leopoldi matutina,*

Si producta in seram noctem solicitudo, aut rerum momenta grauarent, non antè vllam quietis partem lassato corpori concedebat, quàm cum Deo cumque animo suo rationes posuisset, & æquè tutum se æternitatis constituisset, ac erat somni indigus. Somnus verò, cùm quædam imago mortis sit, quique concedit cubitum, etiam ipse habeat imaginem morituri; quoties vesperi decumberet, assimilatione quâdam pijssimâ, adumbratam Extremam Vnctionem adhibebat sibi cum aquâ benedictâ, & dicebat: *vespertina:*

cebat: *Per istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat mihi Deus, quidquid in animâ per cordis affectum & potentias internas commisi, & quidquid in corpore, per sensus externos, contra rationem & virtutem deliqui.* Quibus subdebat commendationes, quæ vulgò dicuntur animæ: *Proficiscere anima mea Christiana de hoc mundo, in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creauit: in nomine* IESV *Christi Filij Dei viui, qui pro te passus est: in nomine Spiritus sancti, qui in te effusus est: in nomine omnium Sanctorum & Sanctarum Dei, anima mea, sit in pace locus tuus, & habitatio tua in sanctâ Sion.* Ad extremum verò abrumpendæ vigiliæ diurnæ hæc orabat: *O dulcis* IESV, *in horâ exitus mei benedic animæ meæ, & mortem meam inuolue vitali morte tuâ, quæ est charissimum fœdus, firmissimumque pactum reconciliationis meæ: tunc mitte ad me fidelem adiutricem* MARIAM *virginem, Matrem tuam amabilem, & stellam maris inclytam, vt conspectâ hac præclarâ rutilantique aurorâ, cognoscam te Solem Iustitiæ mihi iam propinquum esse: tunc dic animæ meæ: Ego Creator, Redemptor, & amator tuus, per angustias mortis quæsiui & acquisiui te; semper mecum eris, noli timere. Domine* IESV *Christe, per illam amaritudinem Passionis tuæ, quam sustinuisti in Cruce, & maximè quando anima tua egressa est de corpore suo, miserere animæ meæ in egressu suo.* In ipsis rerum tumultibus frequens illi cum Deo sermo, eximiâ vi charitatis, per ipsa etiam salebrosa ad suum principium euadente. Humana agere videbatur: at de propinquo semper Deum spectabat; & quasi Arcti circa polum, sic ille mente circa primum rerum principium agebatur.

Nullus illi dies, ne quidem instruendi subeundíve conflictus, aut oppugnandæ vrbis (quamvis ipse disponeret, vrgeret, ageretque omnia) necessitatem imposuit omit-

omittendi Sacrificij. Et ostendit quandoque Deus, quàm sibi id obsequij genus acceptum sit, quando, vt alibi narro, vel vibrantium hostium siluit furor, dum agerentur Diuina; vel quam anteà, admotâ omni bellicæ artis vi, frangere non potuerat propugnacula defendentium pertinaciam, finito eo pietatis obsequio, flexam submissamque inuenit. Neque ille dum hæc tractarentur mysteria, occupari, quæ exhibebantur, litteris visus, neque admittere ad aures negotia, neque mandare; vt totus cum Deo ageret.

In quotidiano Sacrificio.

Libet verò hîc adijcere, quam sibi præscripserat Missæ audiendæ methodum, in eius aduersarijs repertam, cui titulus est: CONSIDERATIONES AD S. MISSÆ SACRIFICIVM. Ad Psalmum, INTROIBO: Formabo intentionem, quâ tremendo huic Sacrificio intersum; & finem sacræ Communioni, seu reali, seu spirituali præfigam. Ad CONFITEOR: Confitebor iniquitates meas Deo summo sacerdoti; concipiam intimum de peccatis meis dolorem. Ad INDVLGENTIAM: Excipiam absolutionis sententiam, quæ mihi à Deo impenditur. Ad INTROITVM: Excitabo desiderium, vt veniat ad me Dominus meus per sui corporis veram aut spiritualem sumptionem. Ad KYRIE: Petam hanc humiliter à tribus Diuinitatis personis. Ad GLORIA IN EXCELSIS: Collaudabo & congaudebo Deo de eo, quod est super omnia Deus. Ad ORATIONEM: Rogabo eumdem Dei in me aduentum, per intercessionem eorum Sanctorum, quorum eo die memoria agitur. Ad EPISTOLAM: Expendam desiderium & voluptatem, quam Deus ipse habet, se mihi exhibendi, & cum animâ meâ uniendi. Ad EVANGELIVM: Audiam ea verba tamquam ex ore Christi, ad me vnicum & solum deprompta. Ad CREDO: Eliciam actum veræ ac viuæ Fidei, cum ardente desiderio, etiam vitam & sanguinem in eius contestationem funden-

Eius audiendi methodus.

fundendi. Ad OFFERTORIVM: Offeram, &, quantum potero, me perfectissimo amore cum Deo uniam. Ad PRÆFATIONEM: Eodem affectu eleuabo cor meum ad Deum meum, & Maiestatem eius cum Angelis collaudabo. Ad SANCTVS: Dicam, *Pater noster*, &c. vt S. Mechtildis solebat, & salutabo venientem Deum cum Hebræis, *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Ad INFLAMMATIONEM CEREI: Ex corde dicam: *Accende lumen sensibus & cordi meo*, &c. Ad CONSECRATIONEM: Optabo sic cor meum spirituali modo perfectissimo transmutari in cor Dei. Ad ELEVATIONEM: Aperiam Deo meo vulnera animæ meæ, & hærebo corde ad crucem morientis IESV. Ad PATER NOSTER: Petam humiliter panem supersubstantialem, & parabo me affectibus ad S. Communionem. Ad AGNVS DEI: Veniam peccatorum corde contrito à misericordissimo Deo petam, cum magnâ spe & fiduciâ. Ad DOMINE NON SVM DIGNVS: Agnoscam indignitatem meam triplicem. Primò, quòd Deum meum offenderim: ideò offeram ei suam ipsius satisfactionem, quam pro me misero, æterno Patri obtulit. Secundò, quòd nullam habeam ad tantum mysterium præparationem: ideò offeram illi, & optabo omnes omnium Sanctorum, beatissimæ Virginis, ac ipsius Christi mei præparationes. Tertiò, quòd eum non amem sicut debeo, & toto corde desidero: ideò supplebo defectum amoris mei per ardentem amorem Seraphinorum, omnium Sanctorum, beatissimæ Virginis, & ipsius Dei. Ad COMMVNIONEM SACRAMENTALEM AVT SPIRITVALEM: Profundissimâ humilitate, ardentissimo desiderio, recipiam aut recipere optabo in corde meo Deum meum; & tum consuetis affectibus cognitionis, æstimationis, laudis, oblationis, vnionis, &c. hospitem meum excipiam. Ad ORATIONEM VLTIMAM: Orabo mihi

mihi gratias & effectus spirituales huius Sacramenti conferri. Ad ITE MISSA EST: Eliciam propositum procedendi de virtute in virtutem, vsque ad apicem perfectionis, in fortitudine cibi istius. Ad BENEDICTIONEM: Excipiam hanc à Sacerdote, tamquam à Deo, cum desiderio excipiendi vltimam à supremo Iudice, quam daturus est electis, quando dicet: *Venite benedicti*, &c. Ad VLTIMVM EVANGELIVM: Audiam & illud, vt verba loquentis ad me Dei, conquiescam in eo, *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, delectando me cum amantissimo meo hospite Deo.

Ita ille plenus affectibus ad vnum semper Eucharistiæ, seu in Sacramento, seu in voto sumendæ finem directis. Alterum verò spiritualis (vt vocamus) Communionis exercitium omnino sibi familiare fecerat, vt non tantùm id semel in die, sacrorum mysteriorum tempore, sed meridie insuper ac vespere vsurparet. Ita enim ipse in Annotatis suis propositis scripsit: *Assuescam sæpiùs in die spiritualiter communicare, idque faciam minimùm manè, meridie, & vesper; tum ad dirigenda in Deum totius diei opera, tum ad congruam Sacramentalis sumptionis præparationem: paciscarque cum Deo de voto, eum per omnes aspirationes ac respirationes sumendi.* Eius verò hanc sibi praxim formauit. *Dicam primò,* Confiteor, *cum actu quàm intenso potero doloris, detestationis & propositi. Addam,* Misereatur mei, &, Indulgentiam, *cum eâ cogitatione, me à* IESV *meo summo Sacerdote absolui, eumque de tabernaculo sui cordis seipsum mihi depromere sub speciebus Sacramentalibus, ac dicere:* Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: *ex quibus verbis spem fiduciamque erigam, & totam figam in Agno immaculato, cuius sanguine maculæ animæ meæ abluuntur: deinde cum profundâ animi submissione dicam:* Domine non sum dignus:

Communio spiritualis crebra per diem.

meque ex toto ei offeram. In manus tuas Domine commendo spiritum meum; redemisti me Dominè Deus veritatis. *Tum concipiam ipsius* IESV *manibus eum ipsum mihi porrigi, & dicentem audiam:* Corpus meum sacratissimum custodiat animam tuam in vitam æternam: *ac subijciam actus Fidei, æstimationis, laudis, amoris,* &c. *Denique concipiam eum, priusquam seipsum in cordis sui tabernaculum reponat, mihi benedictionem impertiri:* Benedictio Patris mei omnipotentis descendat super te, & maneat semper tecum; *quam demißo ac reuerente corde excipiam.*

Teneriora sunt hæc, quàm in Principe requiras; certè sublimiora, quàm à belli Duce expectes: quæ tamen indicant animum humanis rebus altiorem, & Diuina cum suauitate degustantem; & ipsas etiam actiones naturâ suâ humiliores, quibus humana conditio obligatur, coactâ licet in diuersa operatione, animo tamen intento superis ad Deum eleuante. Non enumero, quas diurno Episcopi penso addebat preces, quàm numerosas, quàm affectu plenas, quàm ad sublimes fines directas: id certum habe; quidquid gratum aut inamœnum oculis, quidquid suaue aut iniucundum auribus, quidquid blandum vel asperum sensibus, seu onerosa, seu remissa tractanti occurrebat, in id illicò non aliter quàm in gradum, quo altior ad æterna efferretur, insiliebat.

Precum, præter horarias, frequentia.

Pax conscientiæ.

Proderat verò ad hoc quàm plurimum constans semper animæ serenitas, & nulli vmquam sceleri obligata conscientia; quo fiebat, non solùm vt promptior expeditiorque ex omni occasione euolaret ad æterna, sed etiam (quod maximos quosque animos perstringere solet) manifesta, de quibus alibi differo, vitæ pericula, & passim obuiantes mortes non horreret; satis se tutum ratus, quod comite vbique Deo procederet, sanæ integræque con-

scien-

ſcientiæ clypeo munitus: quæ Dei proprijque animi cura, ſi etiamnum hodie vigeret in caſtris, vigerent & animi, ſupraque omnem hoſtium ferociam eluctarentur: id enim quod timidos facit, aut in turpem fugam conijcit, non tam eſt hoſtium robur inſuperabile, quàm occulto flagello animam verberans conſcientia.

Cura accendendæ pietatis, & vrgendæ virtutis in miniſtris.

Quia verò etiam ad Principis genium vel ſuapte ſponte formantur ſerui, vel domini imperio coguntur; qualis ipſe erat, tales vel exemplo afficiebat ſuos, vel lege formabat. Quare in admittendis eam adhibebat cautelam, vt priùs in munus quodpiam ambientis vitam moreſque indagaretur, piine eſſent, ad moderationem compoſiti, exemplo alijs futuri, ſuæ Aulæ honori; tum verò Ephebos præſertim ipſe alloqui, explorare non tam quæ ſpectant alij, natalium ſplendorem (quamquam neque hoc præterire decuit) quàm tenorem vitæ, morum compoſitionem, & genij propenſionem: aduertebat qui aſſidui magis, quâ pietatis ſignificatione obirent diuina, aut intenti eſſent ſacro Oratori; quos, vt ad dictionum fructum excitaret, ipſe ſuper menſâ audita repetebat, quid cuique arriſiſſet quærebat; quos cùm puderet coram ſuo Principe rerum dictarum ignaros comparere, attendendi ſtudio accendebantur. Id vt faciliùs adoleſcentibus accideret, eo illos loco ſtatuit, quo etiam Domini oculis intendere compellerentur; ſi quem (vt in iuuenum aut ſeruorum congreſſu fieri ſolet) ſeu diuinorum, ſeu dictionis tempore, aut fabulis, aut alijs intentum conſpiceret, vel ſeueriore oculo admonebat, vel accitum negotij demandatione occupabat, vt ſua ſtaret ſacro loco reuerentia. Quas eis leges dedit, omnes ſpirant Principem FERDINANDI II. filium, hoc eſt, ſanctitatis tam ſuæ quàm alienæ ſtudioſum: quas non ſolùm chartæ commiſit, nec

ad

ad superficiem, sed ad perfectionem seruari voluit; ideóque in menses singulos accuratam rationem à Præfecto exigebat; plecti delinquentes, præmiari ab exactâ obseruantiâ laudatos imperabat. Cùm verò in vnâ Aulâ magna esset nationum linguarumque diuersitas, ne cuiquam deesset adminiculum animæ, gnarum earum linguarum Sacerdotem assumpsit, qui prodesse posset omnibus; quocum & sæpiùs de singulorum in virtute profectu disserebat: & liquidâ animi voluptate perfundebatur, si eos, quales optabat, verâ virtute nobiles reperisset. Ad annuam publicamque Feriæ v. Maioris Hebdomadæ Diuini Epuli refectionem, paterno eruditus exemplo, voluit Aulicos omnes vnà secum accedere, siue dum in Germaniâ militi, siue dum in Belgio Prouincijs bellisque præesset. Fuit, qui illud pietatis specimen declinauit: Princeps illicò in causam inquirere, vbi seu prætextum, seu verum valetudinis impedimentum accepit: *Erit igitur*, inquit, *tempus, vbi integræ sanitati fuerit restitutus*. Stitit se æger Aulæ; differebat tamen quod optabat Princeps; ergo eum monere iussit, vt se & Catholicum non tepidum, & suum quoque Aulicum esse, Ecclesiæ præceptorum obseruantiâ commonstraret: non deerat rei ad speciem tegendæ color, sed non deerat Archiduci ad suum votum obtinendum cura: igitur ad Diuæ Virginis imaginem miraculis claram iter instituit, simulque iteratò monet segniorem illum officij Christiani; nec priùs destitit quàm impetraret. Quod si ex mediæ imæque sortis domesticis illi officio quis defuisset, aut testimonio consueto satisfecisse se non probaret, promeriti salarij suspensione ad præstandum adigebatur: tantâ sui, tantâ suorum curâ tangebatur optimus Princeps, vt & ipse se cælo aptaret, & Aula sua esset Deo seruientium collegium.

CAPVT

CAPVT III.

Deuotio in venerabilem Euchariſtiam.

HÆc ſingularis eſt Auſtriacæ Domus prærogatiua, quâ ſibi per Rudolphum, primùm Coronarum auſpicem fecit Deum, & inde per aſſiduam Nepotum imitationem, earumdem conſeruatorem. Vt eâ re Auguſtus Leopoldi parens ſui admirationem orbi fecit; ita non degener filius totum patrem expreſſit. Vbi primo die Angelorum Panem deguſtauit adhuc tener, mirum quo pietatis æſtu exarſit, vt aliud eo die placuerit nihil, quàm vel cum Deo, vel de Deo agere; eâ cordis ſeſe prodentis ſuauitate, vt alios pudore ſuffunderet, alios ſtimulo vrgeret. Ex tunc iam cœpit ad huius myſterij frequentiam adſpirare; ſed tenebatur currentis impetus, Moderatoris freno: vicit tamen precibus innocentia, vt id ſibi alternis hebdomadibus liceret. Vbi adoleuit, ſuo animo liberaliùs indulſit: nam poſt paucos annos, piam ſibi Dominico quoque die eius Epuli adeundi legem ſtatuit, quam in omnem vitam ſeruauit, nec in ipſis caſtris præteriuit: quibus adiunxit omnes Domini, ſanctiſſimæ Matris, Apoſtolorum, religioſi Inſtituti Fundatorum, Patronorum ſuorum dies, ac ſæpiùs occurrentes neceſſitates, quarum medelam ab hoc potiſſimùm Epulo poſtulabat. Si vel Aulæ, vel belli, in id tempus conſpirarent negotia, vel præueniebat eorum turbam, vel ſequebatur; vt non priùs corpori indulgeret refectionem, quàm animæ procuraſſet. In morbis, quibus ardens ſitis accedebat, maior Dei ſitis eam extinguebat, vt à mediâ nocte omni potu abſtineret. In ſupremo morbo vtraque fuit vehementior; ſed vicit Dei: vt ingenuè faſſus ſit ijs qui corpus curabant: *Neque*

In venerabile Sacramentum deuotio.

Prima eius Communio:

Eiuſdem frequentia:

vos, Medici, neque mortalium vllus hac me nocte potu prohibuisset; & in famulorum defectu, quoquo modo repsissem, vt aquam reperirem sedandæ tam ardenti siti, quam patiebar: at solius IESV *mei amore hanc sustinui, vt possem sacro Eucharistiæ epulo refici.*

Eamdem vrget à suis obiri.

Vt verò, quam ipse famem habebat assiduam Eucharistiæ, etiam in alijs excitaret; cùm maturioribus exemplum sufficeret, Ephebis hanc legem statuit: *Solemnioribus festis Paschæ, Pentecostes, omnium Sanctorum, Natiuitatis Domini, & omnibus etiam Festis B. Virginis, & SS. Apostolorum, siue quot mensibus semel, ijsque diebus, quibus aut Moderatoribus, deuotionis ergô visum fuerit, ad sacram Communionem, præmissâ Sacramentali Confessione, simul omnes piè ac reuerenter accedant.*

Eucharistiæ adoratio;

etiam publica:

Sed & aliæ idem sacratissimum mysterium colendi venerandique sunt rationes, quarum paucas (ne commemorem frequentiorem, eiusdem adorationem, humilem & submissam) recensebo. Sæpiùs id, non secretò, Principum more, sed in publicâ Ecclesiâ, vulgarium ritu accessit, eo spectantium sensu, vt fuerint qui lacrymis temperare non possent, cùm eum viderent non sellæ ad Principis dignitatem instructæ insidentem, sed positis humi genibus eâ compositione prostratum, vt ad numerosum populi accursum, spectandi Principis auidum, nec oculum à terrâ leuaret: ita ad tumultum omnem incurius, quid foris ageretur non obseruabat, interno suæ animæ hospiti attentus. Quamdiu castra siue in Germaniâ, siue in Belgio moderatus est, semper laudato in Austriacis Principibus more, publicam sacræ Eucharistiæ supplicationem, eo die, quo huius in Ecclesiâ celebratur solemnitas, in ipsis castris, summo quo licebat apparatu obiri voluit: cui ad magnificentiam instruendo, quid-

quid

quid secum sacræ supellectilis, quidquid peristromatum deuehebat, adusque sui corporis pretiosum baltheum, suppeditabat. Miraculo propè, certè arcanæ Dei prouidentiæ adscribi debet, quòd ad Salafeldiam quinque exercitibus obsessus, cùm anteà ex omni parte boarent tormenta, toto eo tempore quo pia ducebatur supplicatio, quasi diuinitus imperato silentio, conticuerint. Sed illud Serenissimi in hoc mysterium eximiæ est deuotionis argumentum, quòd, cùm nondum processu satur, adhuc eidem affixus in templo hæreret, iamque iterùm reuocato furore volarent globi, monitus eum locum non satis esse ab ictu securum, responderit: *Apud Deum meum constituto nemo nocere poterit.* eaque constantiâ perstitit, tamquam nullo certius loco discrimen esset euitaturus, quàm vbi firmum est Austriacæ Stirpis in omni necessitate præsidium. Annuum illi, dum bella gessit, armorum auspicium fuit, priùs circumlatum Angelorum Panem indictâ solemnitate prosequi, quàm exercitibus in campo inuictâ fortitudine præire; tamquam ille, vel ad suum militumque robur augendum, non aliâ indigeret annonâ, quàm *Pane fortium*; vel priùs Sacramentum deponeret exercituum Domino, cui soli militabat.

Annuum quoque illud deuotionis tributum, (nisi procul dissitum vberior Dei gloria prohiberet) sub mensem Iulium Bruxellis comparere, vbi stato die publicus honos venerandæ Hostiæ reponitur, quæ sacrilego olim scelere à Iudæis fuit violata; eâ religione obire, vt non tantùm præsens esset omnibus ad pietatem stimulo, sed etiam absens altè impressum cordibus exemplum relinqueret, ad nepotes transmittendum; nemoque illi augurаretur malè, qui de Deo sentiebat tam benè. Et euenit quandoque, nominatim quod hîc recenseo, Valencenis, vt

maximè venerabilis Sacramenti miraculosi Bruxellis:

cùm factus de Principe seruus Dominum dominantium sequeretur, densâ nube obuolutum cælum in copiosum imbrem effunderetur: at Leopoldus nec integumento capitis arcere pluuiam, nec sæpè inuitatus, propior Deo sub vmbellam tutò succedere; minus, quod amassent alij, sub tectum recedere: adeò non horrebat immadescere nimbis pro Deo, pro quo etiam diffluere sanguine sæpiùs optauit. Et valuit ea res tantum apud populum, vt qui latebras meditabatur, totus in Religionis obsequio detineretur. Tantum est exempli robur, cùm ab eo exhibetur, qui iubere cùm possit, abstinet; & quid fieri velit, facto ostendit.

præsertim in periculis ab hoste.

Iam verò illud omnino familiare, si vel repentina vel grauiora ingruissent ab hoste pericula, non tantùm Angelici Panis venerationem edicere, & discretos, per horas, seu militum seu ciuium ordines, ad cultum illius cogere; sed adesse ipse, positis humi genibus, iunctis ad pectus manibus, deiectis', & nisi quà lachrymis interdum viam dabant, clausis oculis adorare; & si quos vel præsens necessitas, vel Principis voluntas ad præstandum latenti Deo cultum non adigebat, suo exemplo compellere.

Rudolphi exemplum, primum comitandi Eucharistiam per vicos delatam, LEOPOLDO familiare.

Quod in Rudolpho, Augustæ Familiæ conditore, miraculum fuit orbi, penè annuum factum est in Leopoldo. Certè toties quoties vel in Austriâ, vel in Bohemiâ, vel in Belgio, sanctissimæ Eucharistiæ, siue equo, siue rhedâ vectus occurrit, ad primum eius conspectum sollicito Religionis affectu cursum stitit, in terram desilijt vtut pluuiâ aut luto madentem, positis genibus præstolatus, ad ægros conditione humiles, etiam de contagioso morbo suspectos, inde ad Ecclesiam vel miles ducem, vel seruus Dominum est comitatus; passimque memoranda reliquit exempla, quæ duo in vnum hominem conuenire non

non posse credebantur hactenus, Militis officium, & Religiosi obsequia, ea ipsum diuino quodam vinculo coniunxisse. Longum esset memorare singula, quæ huius mysterij honori, seu prosâ, seu ligatâ ad musicos numeros dirigendâ scripserit: huc enim, vel ad patientem IESVM lusus deliciasque ingeniosi calami applicabat, quia isthuc cor & affectus impellebat. Illud coronidi capitis adijcio. Quia toto propè quo armis imperauit tempore (ita erat iam depositus Reipublicæ status) commeatus deficiebat militem, & magis promissis rerum, quàm vsu sustentabatur, de animarum annonâ sollicitus, ea versabat consilia, vt quaquà migraret miles, hac cum illo commeatus sacer, summâ quâ posset religione deueheretur; iamque currule Sacellum adornauerat, in quo magnificâ pompâ graderetur in Eucharistiâ Deus, & assiduo lychno honoraretur: sed artificia pietatis expendentem terruerunt pericula; ne is, quem suæ suorumque venerationi optabat comitem, si quando sinistrâ confligeretur aleâ, hostium irreuerentiæ exponeretur. Ita prodidit, cùm præstiterit potueritque multa, maiorem tamen extitisse affectum, quàm vt valuerit facultate adæquari.

CAPVT IV.

Cultus erga Beatam Virginem, & Sanctos.

ETiam hîc teneros delicatosque affectus ingredimur, eos nempe, qui sunt amantissimi filij in optimam Matrem. Indiuidui sibi sunt amor IESV & MARIÆ; vt alterum sine altero non reperias: est enim alter alterius aliquid, eiusdem sanguinis communione. Vt integrè ergo amaret IESVM, extendit amores in MARIAM. At amoris testimonium est exhibitio operis. Mariâ sibi matre in

Tener sensus in beatã Virginem:

pueritiâ ademptâ, sanctiori se MARIÆ Dei Matri in filium dedit, filij amores in totam vitam probauit. Inter primas euigilantis curas erant IESVS & MARIA; & qui in dormientis corde numquam dormiebant, statim in vigilantis linguam prodibant. His primæ à vigilijs preces, his ante somnum vltimæ dicatæ, quorum nomina gerebat affixa pectori, eorum memoriam nullis diei curis obrui patiebatur: in hos affectum quiuis horæ pulsus, quæuis Statua vel Imago excitabat; quas cùm revereretur corde, etiam deuelatione capitis venerabatur. Qui dignus erat amari, fouerique vt filius à Deiparâ, se (vt ingeniosus ad submissionem est amor) eius mancipium profitebatur; cuius vt identidem signo aliquo moueretur, corollæ Marianæ compedes paruulas, à Sacerdote solemni prece lustratas appendit, vt dum hanc versaret (versabat autem quotidie) nouo se affectu obstringeret.

eiusdem veneratio in Sodalitijs:

Nulla ferè est in Germaniâ Sodalitas, nullus in Belgio Partheniorum Cœtus, cui, quòd sic sentiret se magnæ Matri arctiùs obligari, suum ipse nomen non adscripsit, in multis Præfecturas gessit; nec dedecori sibi duxit, bellorum ac prouinciarum imperium cum Marianæ Reipublicæ sceptro coniungere. Sabbato, eius honori sibi inediæ legem dixit. Festa eius præueniebat abstinentiâ, obibat Agni immaculati cœnâ; omnia illi vitæ mysteria suauia, suauissimum Immaculatæ Conceptionis: siue quòd

maximè Conceptionis Immaculatæ:

ab Augusto Patre hic in filium gustus transiuerit, siue quòd suo in hoc affectu suppleri desideraret, quidquid vspiam ei derogaretur. Vt festo huic celebrando, per vniuersum Belgium seruilia opera suspenderentur præcepto, & Diuinorum accederet obligatio, habito Consiliorum Patriæ consensu, à summo Ecclesiæ Capite impetrauit. Lauretanæ quoque Domus translationem (quam colit Picenus

cenus ager) coleret & Belgium, si eius ardentia vota Innocentius X. audiuisset: cupiebat enim omnia vbique festa obiri, quæ vsquam orbe toto celebrarentur, ne vllum esset hominum in Diuam Virginem obsequium, ad quod & ipse non concurreret. A Missâ, quotidie per Sacerdotem Elogia Lauretanæ Virginis legi, festis per symphoniacos decantari voluit; Aras illius, Statuas, Imagines prodigijs claras, susceptis pietatis ergô itineribus inuisit, ditauit, veneratus est; vt nulla propè sit totâ Germaniâ aut Belgio celebrioris nominis Virgo, ad quam non pendeat in anathematis pretiosa Leopoldi memoria. Cellensis, dum in Austriâ ageret, annuum inuisentis honorem habuit, ac pietatis sensum; tunc teneriorem, quando de Serenissimi Nepotis in Imperatorem electione agendum erat: clàm enim suis, iamque altùm dormientibus, vno solùm seruorum conscio, ad Aram miraculis nobilem progressus, magnam noctis partem Diuinæ deuotioni coniunxit. Hallensis in Belgio quotannis salutatorem habuit, pauperumque concurrentium largum adiutorem, ac Sacri Epuli conuiuam, priusquam educeret in campum exercitus; vt, quam pridem Augustus Parens exercituum Austriacorum Imperatricem statuerat, eam suis quoque actionibus patronam deuinciret. Lakensem propè Bruxellis dissitam, dum istic versaretur, hebdomadario; Passauiensem Auxiliatricem, postquam primæ armorum gubernationi valedixisset, humili, nec vllo comitatus famulitio, alternorum dierum accessu venerabatur. Huius iconem, vt amoris proxenetriam, adusque vitæ finem de collo gestauit, cuius quotidie aspectu fiduciam, osculo amores profitebatur; vt facilè colligas, eum suas post IESVM delicias, spesque suas in MARIA posuisse. Cum ijs enim versamur libentiùs, quos impensiùs

in Litanijs, in statuis miraculo claris,

ſiùs diligimus, à quibus plurimum ſperamus. Votum erat & Lauretanam Virginem inuiſere: ſed quò vel armorum imperium, vel frequens deinde morbus vetuit transferre corpus, tranſmiſit amores, inſigni duorum auro fuſorum Angelorum anathemate teſtatos. Adiecit & illud, augendæ in prodigioſas ac venerandas beneficijs ſtatuas Belgarum pietati, quaſi ſuo non contentus affectu, niſi in eumdem traheret omnes; plurimas æri incîdi, typis excudi, coloribus & auro illuſtrari iuſſit, vt in omnes ſparſæ, omnium colligerent pietatem.

præſertim Virginis Doloroſæ. Matri Doloroſæ (tum præcipuè cùm illo titulo colenda primùm in Templo Societatis IESV Bruxellis exponeretur in publicis Belgij calamitatibus) teneriùs affici viſus, hoc ei non minùs religioſo quàm ingenioſo in Virginem affectu Chronicon addidit: MATER ChrIstI DoLorosA. ſed quod cogitandos plus animo ſubijcit, quàm oculis ſpectandos afflictæ Matris dolores, eſt illud ab eodem Archiduce ſcriptum: sIC DoLet MarIA. Quemadmodum enim ſacer Euangeliſta, cùm Filij Dei cruciatus nullis verbis exprimere poſſet, hoc ſolùm conſiderandum nobis reliquit, *Sic Deus dilexit mundum*; ita Sereniſſimus Archidux triuerbio Matris dolores tam acerbos eſſe oſtendit, vt quidquid de ijs dixeris, plus ſuperſit cogitandum. Ioan. 3.

Fauoris vicem LEOPOLDO *Virgo rependit.* Nec honoris Mariani ſtudioſior fuit Leopoldus, quàm promouendorum Leopoldi conatuum præſens adiutrix MARIA. Ipſe confeſſus eſt palàm, ſe ab Auguſtiſſimâ Dei ſuâque Matre nihil vmquam precibus flagitaſſe, quod non impetrarit, quando id impetraſſe, è cenſu Diuinæ gloriæ eſſe videbatur. Hâc enim ipſe lege preces ſuas votaque ſtringebat, vt ſe ijs limitibus continerent, quibus maior Dei gloria definitur. Illud omnium vocibus

bus diuulgatum fuit, quòd, vt aliàs narro, à Cameracensi obsidione, robore & viribus potens, vicinâ Regis Reginæque præsentiâ animatus, spe victoriæ tumidus hostis, repentino timore perculsus, sese submouerit Vrbe, insigni assistentis Virginis patrocinio accidisse: quam vt in vrbe Ciuis, ita in castris Leopoldus eo ipso tempore in auxilium calidis precibus aduocabat. MARIA denique erat Leopoldo in ambiguis *stella ductrix*; in periculis *auxilium*; in afflictionibus *consolatrix*; in bellis *Imperatrix*; in infirmitatibus *salus*; in morte *omnis suæ voluntatis executrix*: ita enim in Animæ suæ Testamento scripsit: *Atque vt huic meæ supremæ voluntati maius sit robur, executricem nomino Beatissimam semper Virginem* MARIAM, *Dominam ac Matrem meam, quam demissè obtestor, vt me in extremâ illâ horâ non deserat, imò maiore quàm aliàs ope mihi subueniat.*

Nec reliqua Cælestium curia vacabat obsequijs Leopoldi; ad quorum enim aspirabat consortium, eorum prensabat affectum. Nullus Diuorum Ordo est, cui non suos honores venerationemque tribuerit; neminem enim præteriri decuit, cùm omnium vel virtutes coleret, vel desideraret suffragia. Solet tamen in eos potior esse reuerentia, quorum vel apud supremum mundi Dominum ampliorem esse gratiam ac familiaritatem credimus; (quamquam omnium sit intima) vel quorum in terris vitæ professionem imitamur. Hinc quos idem cum Christo sanguis cognatione miscebat in terris, ijs præcipuum Leopoldi studium accedebat in cælis: sincerus enim in Dominum affectus cultum trahit in stirpem Domini; & credimus nos Principis gratiâ non procul abesse, si cognatorum eius gratiam obtinemus.

LEOPOLDI veneratio in Sanctos, Christo cognatos,

Tum verò in Diuum LEOPOLDVM prolixus affectus, non fortuitò, sed Dei consilio sibi Leopoldi nomen ob- tigisse

S. LEOPOLDVM,

F

tigiſſe ratus, præceptum quoque eius ſibi deuinciendi, per ipſam nominis vocem impoſitum eſſe exiſtimabat. Huic ergo blanditus à teneris, cuius gaudebat nomine, accendebatur exemplo, vt eius virtutes vitæ ſuæ regulam conſtitueret: huius gratiam aucupatus quotidie, ſed eo potiſſimùm,quo illius memoriam obit Eccleſia;tunc enim & Euchariſtia deuotioni acceſſit, & qui ab Aulâ deferebantur peculiari ſtudio honores, à Leopoldo in LEOPOLDVM tranſmittebantur. Huius anniuerſarium diem ſolemni cultu per totam Auſtriam obeundum impetrauit, quod teneriori ſolatio fuit morienti: huius quotannis, dum egit in Auſtriâ, viſitati cultique ſacri cineres: huic in extremo morbo dicati crudeles omnino dolores: huic in Templo Domus Profeſſæ Societatis IESV Viennæ ſumptuoſum à fundamentis excitatum ſacellum, arâ, auro,picturiſque ad elegantiam exornatum: huius reliquias, quarum partem eximiam in Belgium detulerat, vt publicus à pluribus eſſet honor, in diuerſa diſtribuit, vbi magno concurſu populi coluntur:plures vel donauit, vel legauit Societati IESV: partem tenet Bruxellenſe Collegium, partem Louanienſe: quod verò remanſerat, moriturus Paſſauio tranſcripſit,quod hiſce locis tenaciùs colendas exiſtimaret.

Apoſtolos, In ſanctos Apoſtolos non minus erat ſtudium Leopoldi; quos illi venerandos faciebat Chriſti nobiſcum habitantis familiaritas, & ad proferendam Fidem incenſus zelus. Cùm enim eodem ardore flagraret, ad eorum quoque peculiarem cultum rapiebatur. Hoc nomine & *Religionum Ordinum Fundatores,* omnium propè Religionum Fundatores ſibi honorandos præfixit, quòd Eccleſiam Dei aut moribus & exemplis, aut doctrinâ ad maiorem perfectionem excoluerint. Hoc nomine SS. IGNATIO de Loyola, & FRANCISCO XAVE-

XAVERIO deferebat, quòd tanta per eos ad Ecclesiam toto orbe facta sit accessio. Deuotionem in hos par comitabatur fiducia, nec omnino fefellit; Fridwaldum occupandum destinauit diei S. IGNATII, & feliciter expugnatum est: eius acta & vitam tenuit, Institutum amauit & protexit.

S. FRANCISCVM XAVERIVM,

Indiarum Apostolum XAVERIVM, huius sæculi Thaumaturgum, voto à se cultum, fauentem sensit. Exhausta erat Medicorum industria, nec ab arte suppetebat languenti remedium: ad XAVERIVM voto recurrit; at iste sanitate occurrit; ex eâ enim horâ redire somnus, cum somno vires, dolores infringi, Leopoldus morte eripi, ac pristinæ valetudini restitui. Hinc & affectus crescere, & ipse elegantem S. XAVERII iconem in conclaui suo quotidianæ venerationis causâ statuere; vt quoties obuersaretur oculis, ad beneficij recordationem animus excitaretur. Ad supremum iter muniendus Viatico, præmitti voluit (vt appellare solemus) de diuo XAVERIO Missam, vt comes ad æternitatem esset, qui fuit in vitâ Patronus: eius reliquiarum particulam, quæ cruciatibus solatio esset, sibi dari postulauit; quam nactus, frequente interni affectus teste osculo venerabatur. De eo Collectam, quam vocant, ex quo eius in suo morbo patrocinium sensit, manè & vesperi recitauit quotidie semper; & cùm in summâ ægritudine illam non posset efferre voce suâ, dici voluit alienâ.

Templorũ Patronos,

Templorum, quæ itinerans præteruehebatur, Patronis suam deferebat reuerentiam: locorum, in quibus morabatur, Præsides submisso venerabatur officio. Prima auspicaturus arma in Bohemiâ, eius Regni tutelaribus anathema fixit, vt præsenti adessent necessitati; & quam Suecorum ferocia vastabat patriam, felici susceptæ suæ

expeditionis progreſſu ab excidio liberarent. Stetit euentus voto; & Bannerius ille regnorum helluo paucorum menſium ſpatio totâ Bohemiâ eſt exactus.

& ceteros; Sunt & alij, quorum ſyllabum ſuæ Animæ Teſtamento inſerüit; &, quantum aduertere licet, ij potiſſimùm, quorum vel heroicæ fuere virtutes, ardenteſque in Deum, in Fidem, in animarum ſalutem motus, vel profunda & ad contemptum vſque inclinata ſubmiſſio, vel Angelica & proprio etiam ſanguine purpurata caſtimonia; vt ex his ipſis intelligas, quarum virtutum peculiari ſtudio teneretur: neque enim otioſâ tantùm eos veneratione proſequebatur, ſed eâ quæ imitationem trahit.

eorumque Reliquias ſacras. Ex hoc in Sanctos affectu facilè proficiſcebatur in ſacra eorum lipſana veneratio; ſine ijs nec vigilabat, nec dormiebat; nec viuebat, nec moriebatur. Ingens catalogus eſt eorum quæ de collo geſtabat; ſed illud tenerioris in omnes affectûs indicium, quòd manu ſuâ deſcriptum in hierotecâ gerebat: *Sint ſemper in corde meo & defenſores in morte meâ.* Ex alijs concinnum in ordinem digeſtis, velut altare in conclaui ſuo erexit; vt cùm ſolus eſſe crederetur, verſaretur cum Sanctis: alia ſecum elegante thecâ adornata, quoquò ducebat caſtra, deuehebat, & manè quotidie veſpereque reuerente oſculo venerabatur. Sanctorum Trium Regum cineres Coloniæ nactus, Regium munus æſtimauit, eas publicæ Aulæ ſuæ venerationi, recurrente Epiphaniâ, in totum octiduum exponebat. Vbique pretioſiſſimus theſaurus fuerunt Leopoldo Sanctorum Reliquiæ; at vbi erat theſaurus eius, erat & cor eius.

CAPVT

CAPVT V.

Prudentia & Iustitia.

DVo sunt bonæ gubernationis poli, quibus rerum publicarum machina velut cælum giratur. Nihil agam de militari Prudentiâ, aut Iustitiâ; nihil de eâ quæ Ecclesiasticam Rempublicam moderatur; illam secundæ, hanc tertiæ Parti reseruo: ciuilem vtramque, quatenus in Principe residet, expendo. Ac primùm quidem tria sunt robusta argumenta, quibus solis eximia Archiducis prudentia satis probetur. Primùm quidem augusta pietas, & admirandus cum Deo diuinisque consensus, cum quo nulla esse potest errori via. Præclarè enim etiam me consentiente dictum est; *Pietatis studioso Principi non desiderabitur prudentia.* Deinde verò Principe digna, quam suprà ostendimus, institutio, & ad sapientiam formatio, quæ fecundum est semen prudentiæ. Denique tot rerum bello & pace tractatarum experientia, quæ tam perspicacem præcipuè intellectum, per rerum à se, ab alijs actarum obseruationem, veluti manuducit ad rectum ordinem agendarum. Verùm quia non ijs tantùm scribimus, qui ex vngue leonem intelligunt; sed ijs etiam, qui nisi à capite ad calcem per singula membra eum despiciant, quid monstri sit, non assequuntur; ideò libet ad pauca quædam descendere, quæ Principi solent prudentiæ laudem comparare. *Prudentia triplex: Ciuilis,*

Primùm ergo, quod in sublimiore mente, rerum ordinandarum lumini seu capiendo, seu ad puritatem excolendo permultum seruit, erat ille, vt moderato genio, ita solerti curâ, & miti animi patientiâ, quæ nec affectus vllius violentiam admittebant, nec duritiem pertinaciæ, nec præcipitationem, quibus plerumque Principum mentes ad infames scopulos alliduntur: accedebat odium calli- *qua est solers patiensque moderatio,*

 lidi-

calliditate procul;

liditatis humanæ, vt numquam vellet niſi per bonas artes, acceptaque Deo conſilia, ad præfixos ſibi ſalutis publicæ fines eluctari.

conſiliorũ bonorum auida ac ſtudioſa:

Illud certè prudentiæ Principis tribuunt omnes, ſi, quantumuis ſapiat ſupra omnes, non ſuo tamen vnius iudicio innitatur: ſolent enim, vt plures oculi, dummodò limpidi, videre plura; ita plurium conſilia rem propiùs tangere. Quare cùm eſſet ipſe Deo ſoli bonoque publico intentus, eos ſibi ad conſilia adſciuit, qui eiuſdem ſecum coloris eſſent; ſapientes penetrando fini; prudentes diſcernendis medijs; promptos in aſſequendo viros; expertos aperiendis vijs; fidos tam ſibi quàm bono publico, ne ficto ſtudio verum detrimentum parerent; amicos, vt confidenter auderent ſententiam promere; magnanimos, ne ſtatim damnarent conſilia quæ adiunctam habent difficultatem. Denique & Deum timentes, quòd ſciret, ſine hoc ſalutari timore numquam poſſe bonam voluntatem, quam & Philoſophus ad prudentiam requirit, in conſilium adferri. Hos vt aſſumeret, non tantùm è vicinis, ſed etiam è longinquo ſelectum faciebat: cùm enim boni probatique viri fama, peruerſo licet ſæculo, ſpargeretur, maximè ſi meliorum firmaretur ſuffragio, in deſideria Leopoldi incurrebat: tales nactus, pro commiſſurâ animi ſui habebat, audiebat, probabat, ſequebatur, non vt imperantes, ſed vt conſulentes. Veritati enim ſolùm & ſanitati conſilij (cui diſcernendæ valebat ſatis) ſe obſtrinxit, non conſulentis auctoritati; cui nec dominium concedebat, nec præſcriptionis anſam porrigebat.

ſuſpenſa, ſed non tarda;

Nihil ſtatuebat properè, nihil non penſatis momentis diſcernebat: mora tamen non erat intricatio mentis, nec rei ſuſpenſio: eò vſque tantùm dirigebatur, dum quidquid eueniret, nullam pœnitudinem ſubituram appare-

ret.

ret. Cùm nihil ageret non munitum prudentiæ clypeo; non euitabat tamen argutè potiùs quàm vtiliter sapientium censuram. Hoc enim malum felicitatem Principum comitatur, quòd etiam nimijs sapientium iudicijs subijciatur, quorum nec satisfacere sententijs, prudentiæ leges sinunt; nec cauillos impedire, moderatio permittit. Vt discerent tamen, suam sapientiam esse meram ignorantiam, eos ipsos specie consilij rogabat, quid hâc, quid illâ re agendum censerent: audiebat, opponebat, difficultates occultas aperiebat; incertas mouebat, certas elucidabat: donec approbatores eximiæ prudentiæ abirent, qui absentem erudire præsumebant. *argutorũ magistra:*

At quia Prudentia est ars viuendi, non solùm sibi, sed & aliis, & cum alijs, non solùm honestè, sed & commodè; prudentiæ Serenissimi Archiducis adscribo, quòd sub rationis imperium coëgerit sensum, in quem offensas, etiam publicâ æstimatione graues, non admisit: vt miratum sit Belgium, Leopoldum eum esse Principem, qui possit impunè offendi; & inde auctoritati eius accedere, vnde derogandum credebatur. Quàm verò in se non admittebat offensas, tam in alijs sollicitè leuabat. Magna capita concurrebant; & vt ex horum collisione magna incendia oriri solent, magnæ prudentiæ Leopoldi fuit, & incendia præuertere, & pugnantes genios actionesque componere. Sed & illud huic adscribamus virtuti, quod admixtam habet Austriacam humanitatem. Venerant in Belgium plures è Germaniâ Principes, & affectu Nationis, & Gubernatoris æstimatione allecti, arma sub Serenissimo Archiduce Regi Catholico impensuri: hos reuerenter detectos, iubebat Rex velato capite à Serenissimo Gubernatore audiri; quæ illi in omnes Imperij Principes vsurpata fuit hactenus humanitas, ad veterem Germa- *citra offensam, suam, & alienã;*

Germaniæ consuetudinem inuitabat. Vtrumuis eligeret, offensam non euasurus videbatur: inuenit tamen modum, quo sua staret voluntati Regiæ auctoritas, & nihil humanitati decederet. Vniuersa hîc vita enarranda esset, cuius singulæ actiones fuerunt prudentiæ partus. Quid prudentes de eo senserint, accipe.

cum approbatione Magnorũ. Qui illi assidebant quotidie in grauiorum rerum deliberationibus, attestantur, nihil tot nodis implicatum occurrisse, quod ille non explicaret feliciter; cuius sententiæ nec quod adderent, nec quod demerent habebant quidquam; plurimùm verò quod discerent. Excellentissimi Ioannis Baptistæ Nani, Serenissimæ Reipublicæ Venetæ ad Imperatorem Legati, viri à sapientiâ celeberrimi testimonium, quod in suâ ad Rempublicam relatione perscripsit, adiungo: *Archidux Leopoldus Guilielmus Imperatoris patruus, in præsenti gubernatione primas tenet, auctoritate, prudentiâ, & sincerissimo affectu, quo in eum fertur Nepos; sed his tantâ modestiâ & obseruantiâ vtitur, vt nec Imperatori suspectus esse possit, nec quidquam ei à ministris in sinistrum trahi. est Princeps maturus, pius, prudens, eruditus, & militaris*, &c. sed superat omnem aliorum sensum, quod Rex Catholicus, quod Imperator senserunt, dixerunt, scripserunt: possem vtriusque multas afferre epistolas, quibus Leopoldum dilaudant, eius prudentiæ negotia committunt, eius arbitrio etiam publicæ pacis articulos concredunt: sed quia arcana Principum vulgari non debent, fidem facio, me tot inspexisse, quæ Opus conficerent. Satis sit de Rege Catholico illud: sæpiùs videre desiderauit Leopoldum, cuius prudentiam mirabatur: de Ferdinando Imperatore illud: cùm non tractâret bella, semper eum sibi adesse præsentem voluit, vt haberet, cum quo fidentiùs tractaret arcana.

Ad

Ad Iustitiam gradum facio, quæ Tertulliano est *tota plenitudo diuinitatis in terris*. Dum enim ius suum cuique tribuit, sacrâ quâdam moderatione mundo præsidet, eiusque vices dispensat, & cæli quietem, quà participari potest, in terras deducit. Hâc vt potiretur Belgium, ad plausum populi Serenissimus Leopoldus vigorē legibus asseruit. Quoniam verò alia sunt quàm in Germaniâ harum Prouinciarum iura; vbi primùm gubernacula suscepit, comprehendendis legibus inuigilauit: ab harum magistris omnem peritiam accepit; vt potuisset, quod ipsæ sanciunt, in arenâ casus decernere, nisi cautior maluisset (qui & ipsarū legum aphorismus est) consilio iudicare. Itaque primùm se subiecit legibus; vt quod ab alijs exigebat munere, monstraret exemplo: nam non minùs virium ad continendos in officio subditos habent exempla Principum, quàm imperia: castigat enim ciuium insolentiam compositus Magistratus.

Leopoldi Iustitia, discendarum legum ac Iurium studiosa,

Ne violandæ Iustitiæ adiret periculum, ipsos apices obseruare voluit. Erant, non in leges iniurij, sed praxis periti, qui suggerebant Principi, vt libitu suo, non minutarum legum præscripto, plura ageret; esse id tutum, esse consuetum, esse in collatæ potestatis articulis, esse certò Maiestate Regiâ probandum. At cui non erat satis amouere periculum vulnerandæ iustitiæ, etiam periculi suspicionem declinare voluit; quam facilè incurrit Princeps, dum potestate vtitur. Iustitiam in membris sanam constituram credidit, si in Capite non tantùm sana esset, sed robusta: ideò reposuit: *Princeps exemplo suo subditos docere debet, quæ legibus debeatur reuerentia.*

vsque subdita.

Magistratus & causarum Iudices eos statuit, quibus ad dignitatem accessum faceret æquitatis amor honestâ famâ celebris, non qui munus nundinatione procarentur: credebat enim, qui potestatem sententiæ emit, facilè senten-

Ex æquo & bono, non fauore constituens Magistratus,

citra nundinationem munerum: ſententiam ipſam venditurum. Areopagitarum & Medicorum lege eos voluit, quibus aures eſſent, non oculi, non manus; quibus nec illuderet affectus, nec blandirentur munera. *quibus amoliendis auxit ſtipendia.* His ne quà rima aperiretur, ſuâ magnificentiâ impediuit; auxit enim ſtipendia, ne facili neceſſitatis prætextu vel admitterentur munera, vel ſubhaſtaretur Iuſtitia. *Promouit bonos, ſubmouit malos.* Benè præclareque de æquitate meritos vel ſuis ipſe augebat donis, vel ad altiores gradus promouebat: quos infamaſſet iniquitas, ſubmouebat officio, ne vnius proſperitate cumularentur detrimenta multorum: nulli eam dignitatem contulit, quem ſciret improbum. Ad eam normam *cum publicâ approbatione & fructu.* tribunalia compoſuit, vt publicus omnium plauſus fuerit; nunc tandem propè ſepultas & pulueribus oppreſſas cauſas, reſuſcitatas, expeditas; ad eumque curſum reductum æquitatis ordinem, vt propè quidquid cauſarum prior dies tuliſſet, poſterior terminaret; certatimque ciues, per familiares Principis gratias referrent, quòd in eum vigorem ciuilis iuſtitia eſſet reuocata, ad quem pluribus annis ſuſpiraſſent. Gaudebat Clerus, ijs prouidè diſpenſari beneficia, qui morum auctoritatem profeſſioni conciliarent; Nobiles, ſe extare in turbâ; Magiſtratus, adſcititium numerum, & inutilem turbam reciſam, ſeque populi reuerentiæ redditum; Literati, peruium ad eminentiores honores aditum; & denique totius populi turba, habere ſe ſuarum, licet tenuium facultatum, ſecuram poſſeſſionem. Ita vbique erat conſolatio miſerorum iuſtitia Principis.

Sed cùm tribunal vtrique litigantium parti ſatisfacere non valeat; nulli, qui ſe læſum exiſtimaſſet, negatus aditus: quiſque ad ſatietatem, ad Principis vſque commendationem auditus: vt nullos affectus ſeu odij & inimicitiæ, ſeu amoris & cognationis aut affinitatis, ad aſſeſſum iudicis admitti voluit; ita nullum ille in cauſarum deci-

ſione

ſione admittebat in calamum. Agebantur Gallorum Hollandorumque priuatorum cauſæ in tribunalibus Belgij; non erant amici Galli, non Hollandi: non promouebant ipſi, imò non ſuſcipiebant Belgarum cauſas iudicandas: par pari retuliſſet, qui minùs iuſtus fuiſſet quàm Leopoldus. At iſte iniquum ratus, luere priuatos quod peccant Magiſtratus, non minus Gallis & Hollandis ſeruire iuſtitiam voluit, quàm ſuis: quòd iuſtitia vel neminem agnoſcat ſuum, vel omnes. Cromuellus, tyrannus Angliæ, magnam pecuniæ vim à Rege Catholico in Belgium deſtinatam, per maris tempeſtates ad portus Anglicanos appulſam detinebat; nec poſtulatam ſuo domino reponebat: reciprocæ apprehenſionis iure vtendum ſuadebant alij, & ſæpè & inſtanter. *At quid* (aiebat Leopoldus) *vel Cromuello, vel Parlamento, iniquis rerum detentoribus, rei vindicandæ causâ eripiemus? Quæ noſtros in portus Anglorum bona deuehuntur, priuatorum ſunt, non Cromuelli, non Parlamenti: luent ergo innocentes, quod nocens peccauit? Probarem, ſi damnum ſentiret qui damnum intulit.* Nullo ergo librabat odio æquitatis lancem; ſed nec amore. Tollebatur illi Regis voluntate Miniſter, quem æſtimabat: cauſa non prodebatur. Quia Iudex eſſe non poterat, Patronum egit innocentiæ: ne crederetur affectui dare, quod dabat iuſtitiæ, ita ad Regem ſcripſit: *Non ago partem à me inopinatò auulſi, quem ſcio eâ ſemper fide pro bono Maieſtatis Veſtræ ſtetiſſe, quâ ego ipſe. Non communico alijs Miniſtris ſenſum meum, ne præoccupare videar animos: ad Maieſtatis Veſtræ ſupremam auctoritatem recurro; & precor, quod æquitas poſtulat, vt ſi qui fortaſſis in innocentis famam inuolarunt, ad prodenda tam manifeſtæ calumniæ indicia conſtringantur. Si conuincatur vel in minimo reus; ſubeat ex rigidæ iuſtitiæ legibus meritas pœnas: ſi verò de innocentiâ conſtiterit, in patentem calum-*

Delatarum ad ſe querelarum patiens.

Æqua etiam hoſtibus:

nec repetens à priuatis, quod publici rapuiſſent.

Patronum agens, cum nollet, aut non poſſet Vindicem innocentiæ.

niam Maiestas Vestra decernet, quod Regem æqui amantem decebit. Cùm verò instaret Rex, promitteretque, vbi vbi aduocatus ageret, modò à Leopoldi latere abesset, se eum omni fauore regio, protectione, honoribus, ac gratijs prosecuturum; ita reposuit: *In id vnicum fauorem regium Maiestas Vestra dirigat, vt tandem impetrem quod prioribus meis litteris postulaui. Si conuincatur, ipse Maiestatem Vestram precor, exemplum statuat iustitiæ regiæ: si eius actiones aut consilia vel suspicionem mihi facere potuissent alicuius à Maiestatis Vestræ commodo deuiationis, non expectassem amotionis imperium, sed præuenissem: non enim amo seminari zizania, qui vnicum in omnibus specto Maiestatis Vestræ obsequium.*

In reos criminis mitis.

In causis sanguinis mitis magis quàm seuerus, æqui boniq́ue iudicis partes impleuit. Non subscripsit morti, nisi iteratò tertioq́ue causâ ad examen reuocatâ: nullius enim, etiam vilis hominis, vilis est sanguis. Pudendi criminis, cuius vel nomen abominabatur castissimus Princeps, sententiam rogi tulit Senatus, probauit Archidux, subscripsit. Offerebatur redimendæ vitæ vis auri magna; accedebant multorum preces, & magnorum patrocinia, quibus flectendus credebatur aliàs clementissimus Princeps: sed pondus sceleris immotum tenuit; ne enormi crimini indulta venia, fieret plurium vel impunitas, vel occasio; clementer tamen irascebatur, quia vitia sola damnabat.

Cùm enormitas superaret, inexorabilis.

CAPVT VI.

Humanitas, Clementia, Largitas.

HÆc sunt amica vincula, quibus optimus Princeps sibi populorum animos obstringit: hæ sunt artes, quibus Princeps arcanum quoddam commercium intrat cum Deo; qui quamquam de nostro sit iustus; de suo

ſuo tamen ſemper eſt optimus, & totam ſuam naturam bonitate demonſtrat.

Erat ergo Leopoldus eâ Princeps humanitate, vt ſolo aſpectu (quod Eccleſiaſtes in funebri eius Panegyrico dixit) corda raperet, affectu iacentes erigeret, afflictos ſolaretur, commotos tranquillaret, offenſos lucraretur, peruicaces frangeret, & debita detrectantes imperia, amoris violentiâ ſub iugum cogeret: ad quem non emptus pretio, non euictus per longas atriorum cuſtodias daretur aditus. Erat videri facilis, audire promptus, reſpondere cupidus, & eo verborum nectare miſcere ſermonem, quo & oculos alloquentium ſerenaret, & inſitum cordi amarorem opprimeret, & intimos animorum receſſus illimi quâdam voluptate perfunderet. Erat enim conſtans & imperturbata in vultu amœnitas, in oculis gratia, in labijs arriſus, in ſermone affabilitas, in omnibus magnetica quædam virtus, quæ omnium animos trahebat. Domeſtici, verba Principis vt verba Angeli accipiebant: ſi afflictionum non reperiebant vſpiam ſolatium, nacti ſui Archiducis alloquium, omnem nubem detergebant; ita Principem ponere videbatur, & Patrem induere. Externi hærebant affabilitate attoniti; quòd dignitatem non obligaret ſoli rerum neceſſitati, ſed vberiorem ſui copiam humanitate faceret, ac propè muneri pompam detraheret, vt in æquum deſcenderet. Hâc Electorum Principum animos pro Auguſto nepote tenuit: hâc Lotharingum & Condæum in arduas belli expeditiones induxit: hâc Imperij Principum offenſas præuertit: hâc Chriſtinam Suecię Reginam occupauit: hâc Belgio cùm accederet, ſui amores aſpirauit; cùm recederet, lacrymas expreſſit: hâc Hollandiæ Status ad ſanciendam pacem flexit, & multos ad ſe videndum exciuit,

LEOPOLDI Benignitas, & Humanitas.

afflictos recreans,

Potentes trahens,

de quo tanta benignitatis argumenta audiuerant: hâc ſuorum Ducum ac Tribunorum fidem ſeruauit, & magnanimitatem ad arduam gloriæ viam incitauit: hâc propè magis quàm pane potuerit, ſuorum militum famem ſedauit, & ærumnas leniuit; vt ferè miraculum ſit, tot annis in tantis calamitatibus nullas turbas in egente exercitu extitiſſe: hâc denique ipſos hoſtium animos expugnauit.

omnes mouens,

Clementia LEOPOLDI *in reos,*

Clementia humanitati agnata eſt: hâc non tantùm cauebat cuiquam nocere, ſed per ipſa, ad quæ decernenda cogebatur ſupplicia, beneficium conferebat. Quamcumque ſententiam tuliſſent iudices, ſi crimen patiebatur, certi erant de veniâ: ſi impunitas inſultaret legibus, certi erant præſtandum rigori, cum iuſtitiæ laude, moderamen: omnem enim aſperitatem pœnæ ſuâ lenitate molliebat. Cuius ne deeſſet argumentum, vel ignorantiâ excuſabat delictum, vel commoti animi impotentiâ: aiebatque: *Si errandum ſit homini, tutius errari clementiâ, quàm ſeueritate: ideóque malle ſe plures lenitate ſeruare, quàm vel vnum nimij rigoris periculo perdere.* Quo verò ad tantam indulgentiam moueretur quæſitus, reſpondit: *Exemplo Dei: poſſe Principem eo contentum eſſe, quo contentus eſt Deus. Hic vt rariùs pœnas infligat, ſæpiùs pœnitudine placatur. Plures ad frugem reduxit clementiæ benignitas, quàm rigor iuſtitiæ.*

Dei exemplo;.

maximè contra ſe,

In omnibus moderatiſſimus, in ijs propè ſine ſenſu, quibus ipſe lædebatur. Exorbitauerat ex domeſticis non nemo iracundiæ æſtu, propiùs audiente Principe: monitus de habendâ vicini Archiducis reuerentiâ non deferueſcebat. Submouit quidem tumultuantem officio; in annos tamen vitæ liberali ſtipendio proſecutus. Mortis ſententiam acceperat, qui Archiduci erat ab obſequijs, quòd pretioſum picturarum theſaurum inuolaſſet, & magno pretio ſpoliaſſet: quod Principem offendit maximè,

erat,

erat, quòd in vsus vetitos impendisset. Sed lenissimus Princeps breui contentus carcere, vitam donauit, ademturus Iustitiæ lege, si extranei fuisset iniuria.

Nouit Austria, nouit Belgium, norunt Aulæ, norunt populi Leopoldum vindictæ nescium. Non ignorabat, quæ maleuolorum linguæ depromerent: at ille reponebat, *Se iniurias vel contemnere, vel Deo examinandas remittere.* Vrgebatur quandoque vt sensum proderet, calumnias deuelaret, vindictam sumeret. At respondebat: *Non ego mihi vindictam assumo, sed Deo remitto, quem precabor, vt calumniatores ad saniorem mentem reducat.* Sisto hîc calamum, quia plura eius lenitatis argumenta Secundâ & Tertiâ Parte expendo, & plura cogitari possunt quàm scribi: illud solum addo, quod in eius Animæ Testamento lego: *Ex sincero erga Deum amore remitto offensas omnes, à quocumque, quacumque ratione mihi illatas, aut inferendas; idque tam integrè, tantoque animi affectu, quanto desidero mea mihi delicta à clementissimo Deo remitti. Pari ratione, si quis à me vmquam offensus est, eum ego quàm demississimè obtestor, vt mihi deprecanti indulgeat: cui vt satisfaciam, offero quidquid mearum est facultatum, & ipsa etiam merita Domini* IESV CHRISTI.

etiam calumniátes,

ex lege testamenti sui spiritualis.

Restat ex optimi Principis virtutibus Largitas, seu potiùs Munificentia, vna omnium amabilissima, quæ à Principe in populum fluunt; quia propiùs accedit naturæ Diuinæ, quæ quo sit in homines animo, gratiarum impendio prodit. Natam cum Leopoldo in egenos miserationem, educatam cum adolescente, Capite primo dixi: ad finem vitæ deductam, Parte tertiâ ostendo; vbi etiam de munificentiâ in Ecclesias, in loca Sacra, in Religiosos: Parte secundâ, de largitate in belli Duces, Tribunos, milites differo. Vnum restat, quæ in ministros, in domesticos dona profuderit; ea sanè, quæ testentur quanti fidem ope-

LEOPOLDI *Munificentia,*

in domesticos.

operamque æstimauerit, quæ aliorum inuidiam excitauerint. Nemo illi frustrà bonus, nemo solius honoris seruus; qui fidem probauit, sensit apertam Serenissimi dexteram. Abiturus ex Austriâ ad Belgij gubernationem, quidquid erat argenteæ & sanè principalis supellectilis, dispersit in suos, adiecit præsentis æris se dignam massam, & de sequentis anni suorum bonorum censu, supra centum millia Rhenensium. Vt verum sit, quod de eo vulgò ferebatur: *Quos ad tanti Principis obsequia non inuitabat amor quem merebatur, penè compellebat vtilitas, quam referebant.* Cùm auaritia & habendi cupiditas turpissimum sit vitium, & etiam vilis animi dedecus; inuenit tamen Archidux quo inde virtutem formaret: *Hoc solum nomine*, inquiebat, *maiorum opum affluentiam desiderarem, vt esset quod spargere possem, & benè merentium virtutem honorare.*

CAPVT VII.

Tota vita inculpata, & propè Angelica.

Solis maculæ sæpè Magnorum næuos excusant. Credunt vulgò tam adnatas esse magnæ dignitati non minimas culpas, quàm Soli suas maculas. In Austriâ frequens est, quod alicubi fortè rarum, Princeps inculpatus. Vtimur eâ temporum felicitate, quâ (si deessent leges) abundè vim legum supplerent exempla. Statuo igitur tibi *Leopoldum Principem innocentem*. Multa sunt quæ Principem detorquere possunt ad praua; imò penè omnia, quibus est inter homines eminentior: vt, nisi diuiniore quodam freno contineatur, tantò grauiori lapsui sit obiectus, quantò illius fortuna est sublimior. Nihil, quo sensus arbitrio ageretur, deerat Leopoldo, nisi voluntas. At hoc ipsum maximum boni præsidium est, nolle malum: reliquo-

Innocenter præesse, difficile.

liquorum concursus omnium, infirmum est munimentum, nisi à bonâ voluntate firmetur.

Non persequor hîc alia Leopoldi ornamenta, quàm quibus aliquid Angelicum in eo cognoscas: hoc est, in mortali carne, nihil quod carnem sapiat, sed omnia incorrupta, inculpata. Quod commune cum illis spiritibus habuit, est Pudicitia, quæ sui cultores, quamquam agentes in terris, donat cæli iure, & singulari prærogatiuâ inter Cælites spiritus annumerat. Verè enim à Saluatore dictum: *In resurrectione neque nubent, neque nubentur; sed erunt* (tamquam id ad integritatem castimoniæ necessariò consequatur) *sicut Angeli Dei.* Voluntatis igitur primùm adamantinam firmitudinem accipe. Destinabatur magna sponsa pari cuidam sponso (nomina & stirpem prætereo:) dubitabatur de procreando herede: erant qui narrarent, optatum priùs à sponso experimentum: *At ego,* subiecit Archidux, *millies millies mori præoptarem, eius loco si essem, quàm vel vnam Dei offensam incurrere. Pereant Regna, intereant familiæ: neque enim in horum spem vllum peccatum est admittendum.* Et sanè si per Deum *Reges regnant, & Principes imperant*; quæ secunda Regnorum fortuna, quæ familiæ perennitas sperari potest, vbi successionis spes per Dei offensam concipitur? Per hanc sanctissimè obstinatam voluntatem omnis offensionis lapis est amotus.

innocenter tamen præfuit LEOPOLDVS,

Continentiâ Angelus,

Matth. 22.

testatâ dicto;

Et quoniam fuga potissimum est in hoc prælio vincendi artificium, omnis occasio declinata. Inuiserat honoris causâ, Electoris Brandenburgici sororem, Ducem Brunswicensem, Schoningæ. Submotis mensis, Archiducem ad arcanum conclaue deducit, actura cum eo de ditione Brunswicensi adserendâ domino suo. Cura hîc optimo Leopoldo, ne solus desereretur sine teste: nutu ergo, cùm verbis non posset, Camerario imperat, vt propiùs adsit

etiam factu.

actionum ſpectator, licet non negotiorum auditor. Inſtabat illa, vt ipſe nondum refectus prandio, eius gratiâ recederet: ſed intellexit iteratum Archiducis ſignum, vt non priùs moueret loco, quàm alter ſuccederet. Quamquam anteà iam innocentiæ nomine præſcripſiſſet, vt nemini ſiniſtra ſubiret de ſuo Principe cogitatio; valuit tamen aliquid ad augendam innocentiæ famam, quod tantò in Leopoldo cenſeretur laudabilius, quantò erat & ipſe, & quacum agebat honeſtiſſima Princeps, ab omni ſuſpicione remótior. Erat Bruxellis quædam feminis nobilioris ſanguinis conceſſa libertas, animi relaxandi causâ cùm luberet, Aulæ hortum ſubeundi; erat & aliqua in Aulam ſe inferendi licentia. Suſpicionibus id obiectum ratus, vtrumque ſuſtulit. Itaque dum iſthic moratus eſt Archidux, eo præſente nec hortus patuit, nec Aula: & vt pretioſus theſaurus ſecuriùs cuſtodiretur, abolitis prioribus, nouis ſeris muniuit. Debuit tamen Regis Catholici voluntate Reginam Sueciæ Chriſtinam in ſuâ Aulâ habere hoſpitem: ſed ita habuit, vt quàm longiſſimè abeſſe videretur: quàm enim inconceſſum eſt homini ferrea clauſtra penetrare, tam imperuias fecit ianuas, quibus mutuus aditus concederetur. In ipſo Belgij aditu, cùm viſendi Principis gratiâ conflueret populus, & vrbis plateas ſtiparet, exhibuit ſe mulier ad omne lenocinium inſtructa, quæ ſpecie ſuâ plurium & grandiorum animos deprauaſſe ferebatur: adijciebatur, in interioribus huius Prouinciæ viſceribus, huiuſce generis Helenas complures eſſe, formaque longè elegantiores. Tum verò Archidux ſe in hoſtes incidiſſe ratus, nouis animi propoſitis ſe armauit; ea oppoſiturus mœnia, quæ ſemper inexpugnabilia expertus erat. Ergo hîc primùm ille feminarum nulli porrigere oſculandam manum. Contra morem illius

lius Aulæ patriæque id esse videbatur; sed prorsus ad morem castarum mentium.

Ad oculos progressus, eis legem statuit, quam dictat pudicitia. Ex equo prolapsa mulier, indecentiùs suspensa stapedi hærebat: illuc omnium conuersi oculi, omnium risus rei nouitatem ingerebat Archiduci, vt innocentem nictùm eò verteret, quò ceterorum vultus ferebantur: sed veritus scilicet, ne quid minus honesti ingereretur oculis suis, illos etiam auertit à non visâ re, & modestiâ suâ castigauit aliorum licentiam; vt iam suæ illos curiositatis puderet, qui erubuisse Principem aduertebant. Bruxellis honoraturus Ecclesiam Patrum Societatis Iesv comparuerat Archidux. Stabat, vt moris est, erectum illius dignitati Conopæum: mediam inter hoc & Aram summam se locauerat, seu spectatura seu spectanda, certè non tam cauta quàm compta mulier, non paruæ dignitatis. Vix illam distinxit Leopoldus, mittit qui loco abire iubeat: hærebat tamen illa, nescio an admirationem sui factura, an Archiducis admiratione suspensa. Iubet iterùm excesse, aut manu satellitis amoueri. Sed luculentius fuit, quod ad Virginem Lackensem dedit verecundi oculi specimen. Prostabat veneranda prodigijs Statua theatro altior, ad quod gradus ascensum dabant: Archiduci odæum instructum fuit, ex quo quam inuisebat Virginem spectare posset & vènerari. Curiositatem mulierum maior tenebat cura videndi Principem, quàm adorandi Virginem: igitur theatri gradus occupant, vt liberiùs spectent Archiducem. Ille vbi obseruauit studium, delusit expectationem: nam neglecto odæo, processit ad Aram summam, vbi nihil obseruaretur oculis nisi Deus speciebus panis velatus. Quæ tamen se delusas dolebant, laudabant deludentis virtutem: ita vbique cautus, nusquam offendit gradum.

Oculorum cauta custodia.

H 2 Sed

Liberiores Scenæ submotæ; honestæ permissæ.

Sed ne & alijs lapis ſcandali poneretur, ſubmouit theatra publica, quæ plerumque in Venere & Cupidine, aut in amaſiorum artibus ſunt ingenioſa: ea ſolùm licita voluit, quæ innocentem iucunditatem parerent. Sciebat enim, quod in theatris luditur, facilè in animis ſæuire. Eſt in Belgio relaxationis genus, quod *Tour à la mode* vocant: ad hoc obeundum etiam Princeps inuitatus, vbi ex conſcientiæ arbitro per ſchedam intellexit, eo tempore conſueuiſſe mulieres per omnes vrbis plateas circumcurſare, & ſub ſpecie publicæ lætitiæ pericula circumferre; ſchedam monenti repoſuit dignam ſuâ integritate: *Ago ſummas gratias pro fidâ admonitione: nulla præcautio eſt nimia, pro ſeruando tam pretioſo theſauro.*

Aula LEOPOLDI *ſancta & caſta;*

Sed quàm cautus ipſe fuit, tam ſuos voluit: nihil quod obſcœnitatem oleret paſſus in Aulâ: ſigna, verba, aſpectus, libros, omnem priuatam conuerſationem à ſuis Ephebis proſcripſit. Denique Aulæ ſuæ totius conſenſu is habebatur, qui ne veniali quidem culpâ hanc virtutem vulnerauerit. Nec alium fuiſſe ſenſum illius crediderim, qui cùm alijs mixtus in conclaui quodam ſpectaret varios Principes pictoris arte exhibitos, in ijſque eſſent, quorum vitam moreſque non commendaſſet pudicitia, ac media inter eas Leopoldi icon penderet; Tollenda inquiebat, hinc eſt Leopoldi effigies, & in choro eorum Sanctorum collocanda, qui integerrimam, & à caſtimoniâ laudatiſſimam vitam duxerunt. Quare quia talis omnium voce, & publico maiorum imorumque conſenſu ferebatur; qui ei ſcripſerunt elogia, qui mortuo dixerunt Panegyres, vel argumenti parte, vel totâ dictione id egerunt, vt innocentem Angelum exhiberent; rati non ingratum futurum thema, quod omnium approbatio ſuggerebat.

eius exemplo.

PARS

PARS SECVNDA.

LEOPOLDVS

BELLI IMPERATOR.


PIETATE INSIGNIS ET ARMIS
IN HOC VINCE
A CRVCE SVMPSIT HONOREM
ET DEDIT ILLE CRVCI.

PARS SECVNDA.

LEOPOLDVS PRO CÆSARE BELLI IMPERATOR, PRO REGE GVBERNATOR BELGII.

LEOPOLDI *Belli Imperatoris hic exhibeo virtutes; quibus vt præludam, & quædam veluti insigniorum fructuum semina iaciam, libet siue per Germaniam, siue per Belgium res belli gestas, succincto calamo in pauca Prolegomena contractas recensere.*

PROLEGOMENON I.

LEOPOLDVS

Cæsareis armis imperat, & Bohemiam gubernat.

ANNVM agebat ætatis Serenissimus Leopoldus Guilielmus sextum supra vigesimum; quem quia maturitate prudentiæ, & animi generositate longè anteibat, meruit, vt Augustissimus Imperator FERDINANDVS III. deploratissimo rerum statu eum ad armorum suorum omnium imperium, & Bohemiæ Regni gubernationem postularet. Hanc Prouinciam, obtento Pontificis consensu, anno currentis sæculi

AN. M. DC. XXXIX.

LEOPOLDVS *Imperator armorum Cæsaris, & Bohemiæ Gubernator.*

culi trigeſimo nono ſub exeuntem Auguſtum (quod omnium erat ſolatium) aggreſſurus, auſpicium duxit à Dei ope ad Aras imploratâ, fixóque Pragæ Diuis Bohemiæ Tutelaribus anathemate. Galaſſius, qui Cæſareo nomine moderabatur exercitus, ſeu liuoris quo petebatur impatiens, ſeu valetudinis reſtaurandæ causâ, miſſionem impetrauerat. Hatzfeldius cum paucis copijs Album Montem tenebat; quem Sereniſſimus Archidux mox vbi Pragam attigit, in vrbem recepit. Adeſt illicò, cuius iam fama præuolauerat, Bannerius, rerum ſucceſſu tumidus, & locato ad Stellam (vt vocant) exercitu, tergeminæ vrbis paruam, ſed nobiliſſimam partem fulminibus bellicis, ac miſſilibus flammis ſolidum octiduum magnâ ad terrorem violentiâ impetit, nullo quidem hominum damno, multâ tamen ædificiorum ruinâ. Quia tamen & militi, accepto duorum menſium ſtipendio, & ciui ex Archiducis præſentiâ creuerant animi, irritos reddidêre conatus hoſtium. Quare ſpe potiundæ vrbis deiectus Bannerius, cùm ad exitum vergens October ſuaderet hiberna, munitis validiore præſidio vrbibus quas anteà occupauerat, ſe Littomericium ſubducit.

Tutelaribus Regni votum ponit:

Pragam in Bannerium defendit:

Interim Sereniſſimus Archidux, miſsâ in futurum prouidentiâ, magnam frumenti vim ex Morauiâ, & ſupplementa militum ex Auſtriâ, Quadiâ, Styriâ, Carinthiâ & Carniolâ accerſit: Piccolomineum poſt cæſas ad Theonis-Villam Gallorum copias, ipſumque Mareſchallum Fequierium cum magnâ exercitus parte in poteſtatem redactum, in Bohemiam properare iubet. Adeſt victorioſus ille accelerato itinere, cum peditum decem, equitum quatuor millibus. Cogitur vniuerſus exercitus Thaborium: vbi conſilijs cum Piccolomineo collatis, Hatzfeldius in Franconiam & Weſtphaliam, Lamboyus in

Piccolomineum Belgio euocat:

Anno M.DC.XL.

in Belgium mittitur. Mox, rigido licet Februario, Bohemiæ reparandæ intentus, hostes Colino per Fernemontium eijcit: nec mora, Clumetzium accipit; ac Regino-Gradæcium diei noctisque spatio ita impugnat, vt redactus iam ad desperationem hostis, per ipsam mœnium aperturam, muralibus machinis deiectam, vexilla (deditionis signum) porrexerit. Successêre Kosta, Schalla, Brandisium, Bunzelium, Littomericium, & quod his non minus est, ingens vbique terror per hostem sparsus; vt Bannerius ipse nusquam satis tutus, Brisenizium primò; deinde instante semper à tergo Serenissimo Archiduce, combustis belli impedimentis, Zwikauiam; & cùm nec hîc se satis tectum arbitraretur, per Misniam in Thuringiam festinauerit. Tum partitus exercitum Serenissimus Archidux, per Piccolomineum insequitur fugientes Bannerianos, cædit, carpit, capit: per Suysium Zwikauiam occupat: per Bredam, supremum vigiliarum Præfectum, Ducem Wittenbergicum, Voitlandiam infestantem, profligat. Bannerius interim rebus propè ad extremum deductis, subsidium quærit astu & ingenio. Primum Longeuillanum, qui Gallicas copias ductabat, in suas partes trahit: per hunc Landgrauiam Hassiæ irretit; quòd, dum neutri parti accedit, beneficio Pragensis pacis gaudere non valeat; nec spes minima affulgeat tam Cæsareanos ad stabilem pacem cogendi, quàm coronam Sueciæ sibi obligandi: ac demum Bannerius ipse Luneburgicum sibi deuincit.

Varias Bohemiæ vrbes recuperat:

Bannerium in fugam agit, & carpit,

VVittenbergium profligat.

Intereà Ratisbonæ Comitia Imperator celebrabat; Leopoldus ad Salafeldiam militem suum post arduos labores quiete recreabat, spe per litteras ab Imperatore acceptâ, neque Hassos, neque Luneburgicos (quod disertè spoponderant) Suecorum partibus accessuros. Quare

Cæsar comitia celebrat.

decreuit quantocyùs Salam traijcere, Suecos vel aggredi, vel fugare: sed arcano salubrique consilio vetuit Deus, qui eâ nocte Serenissimo grauem morbum immisit, vt loco neque se, neque exercitum moueret, ne ab aucto ingentibus copijs Bannerio frangeretur. Mox enim intellectum est, eum Hassorum, Luneburgensium, Gallorum, & Vimariensium copijs robustiorem, Erfurtum aduenisse, & in Archiducem cum triginta millium exercitu properare. Non mouit tamen Serenissimum eo loco subitaneus terror, quamuis suorum non vltrà sexdecim millia numeraret, nec grauioribus machinis, quas Gitschinij deposuerat, munitus esset: sed præmissâ in quadraginta horas Numinis inuocatione, castris vallo muniendis consilium & manus adiecit. Ne verò inchoatum opus præpropero hostium aduentu impediretur, per Piccolomineum cum quatuor millibus primos furores ad Schwarzæ ripam detinuit, quam totis viribus superare nitebatur. Interim absolutum est castrorum munimentum; ad quod ita exceptus est hostis, vt, qui iam spe suâ Cæsareos deuorauerat, non sine graui suorum iacturâ ad vlteriorem fluminis ripam recedere sit coactus. At Serenissimus Archidux per longissimam syluam iter aperuit, per quam ex Bauariâ pateret accessus commeatui. Nondum decoxerat iras hostis semel abactus, quin prius dedecus nouis ausibus eluere niteretur. Traiecto igitur ad Rudelstadium Salâ, fortunam tentat, vt vel castris Serenissimum exuat, vel annonam intercipiat: sed excisione syluæ præuentam prudentiâ calliditatem reperit, & loci munitionem, militumque fortitudinem sustinendis assultibus parem: ideoque post mutilatum brachio Slangium, vniuersum robur non sine fecundo dedecore reduxit. In illo imminentis hostis periculo voluit Serenissimus Archidux (cui semper cura-

LEOPOLDVS opportuno morbo detinetur à Deo, ne ducat in hostē nimis potentem.

Deo in auxilium vocato, castra munit,

aggredientem hostem fugat;

& se tuetur inuictū:

curarum prima fuit Deus) Eucharisticam supplicationem solemni festo Corporis Christi eâ pompâ celebrari, quâ altissimæ pacis tempore obiri consueuit; ipseque eo religionis exemplo delatum Sacrum Ferculum prosecutus est, vt teneræ pietatis lacrymas, duris aliàs militum oculis elicuerit.

manifesto auxilio Dei in vota publica votati:

Et verò visus est Deus cum Archiducis pietate beneficijs certare. Nam in illis ipsis temporis rerumque angustijs allata est insperatò copiosa annona: ipse morbus eâ horâ immissus beneficium erat, ne sanus Princeps à potentiore hoste profligaretur: Diuino, vt reor, instinctu ab arboris trunco recessit, priusquam tormenti maioris ictu discerperetur, in ipsam quam habitabat domum ingentes tres magnitudinis ac ponderis globi delati, illæsum pertransiêre: in ipsâ denique vrbe Salafeldiâ, pluribus quàm quatuor millibus ingentium machinarum ictibus verberatâ, iniectisque ignibus territâ, nec domus vlla conflagrauit, nec præter vnum hominum vllus occubuit. Quæ omnia meritò vniuersi interpretati sunt, Diuinæ prouidentiæ argumenta, pios Principes protegentis.

Bannerium Frizlariam insequitur:

Bannerius ad Abbatiam Fuldensem bipartitus exercitum, diuisis quoque itineribus Frizlariam deuenit: sed & eò per Franconiam lento passu, ne attereret militem, delatus Archidux, rem primùm velitationibus egit; donec Bauaricis copijs Duce Gelenio, & Cæsareis Duce Camillo Gonzaga auctus, hosti conflictum obtulit, sed detrectanti. Nam post paucas tridui velitationes, quibus non modicam suorum iacturam passus est, Wuldingam recessit: pariter & Serenissimus, inspectante ringenteque hoste, continuatis ordinibus in Hassiæ interiora mouit; vbi statiuis militi concessis, partem auulsit: & ipso S. IGNATII, præclati olim militis, die, Fridwaldum (mu-

committere detrectantem velitationibus cadit;

Fridvvaldum vi capit:

 nitissimæ

nitissimæ id arcis nomen est) vi expugnauit, Bannerio interim se Visurgi, ac primis Hassiæ propugnaculis protegente. Nec mora, promotis viribus Hexteram ad Visurgim, hoste ex aduersâ ripâ inspectante, assultu occupat, & penè totam Landgrauij ditionem (Casselâ & Sigenheimio demptis) suæ potestati subijcit. Sed ne cum inclementiâ auræ, cum pabuli annonæque defectu diutiùs luctaretur miles, in Franconiam, Wirtenbergiam, Palatinatum Superiorem, ac Bohemiam ad hiberna est dispersus.

Hexteram assultu expugnat, & Hassiæ penè totam regionem: Miluē in hiberna partitur.

Sub idem tempus FERDINANDVS III. Imperator agebat pacis consilia cum Principibus ac Principum Imperij Legatis, Ratisbonæ conuocatis; admissis etiam ijs, qui cum Imperij hostibus implicati bello, Cæsatem impetebant, vt de communi consensu omnium querimonijs satisfieret. Luneburgicus, ne suus intereà miles diffluerет otio, Liewenburgum obsidet, nec magno labore occupat. Brunswicensis vt Wolffenbitum Cæsareanis eripiat, Suecos eorumque Confœderatos pellicit, vt iunctis viribus sibi locum reponant. Adsunt Hassi, & Luneburgici, & præcluso vndique aditu obsidionem auspicantur.

Ad Cæsarem adit in Comitijs Ratisbonæ.

Luneburgicus, & Brunswicensis interim rem suā agunt.

Milite igitur Cæsareo in hibernis agente, Imperatore Comitia celebrante, properat Serenissimus Ratisbonam, quâ posset negotium pacis promoturus. Inuisus pridem Bannerio fuit conuentus ille, quòd metueret, seu auctoritate, seu Austriacâ benignitate, ad partes Cæsaris flectendos Principes: ideò restauratis per Misniam & Voidlandiam viribus, post captum in Palatinatu superiore Chambium, propius Ratisbonam tria millia equitum, maiore audaciâ quàm prouidentiâ, admouet; & sui facturus metum, ac Comitia Principum dissoluturus, è currulibus aliquot machinis, in vrbem tonat. Ea hostis inso-

Anno M.DC.XLI.

Bannerius ipsi Ratisbonæ vim admouet.

insolentia tantò vehementiùs omnium animos percellebat, quantò magis illius audaciæ fauere videbatur constrictus gelu Danubius: iamque Proceres & Legatos Principum metus eò adigebat, vt ad priuata à publicis conuersâ curâ, de suo quisque capite per fugam seruando, consilia agitaret. Et verò etiam meditata properassent, nisi incredibili animi constantiâ FERDINANDVS Imperator se, Augustam Coniugem, liberosque, publicæ securitatis obsides obtulisset; ac milite properè ex hibernis euocato, Imperij Ordines Aulamque vniuersam eò loci continuisset, ac trahâ in publicum prouectus, populi trepidantis animos erexisset. Verùm terrorem illum nox vna sustulit, quæ per afflatum Austri glaciem soluit, & pauentes animos serenauit. Approperauit & Slangius suas Bannerio vires coniuncturus: sed celeritatem præuertit Archidux, & Schwandorfio fugatum, vniuersâque suppellectile spoliatum, Neoburgum ad Hercyniæ siluam compulsum obsidione strinxit: vbi quamquam pertinaciter spe succursuri Bannerij fortiter restitisset; tandem tamen maiori Archiducis virtuti cessit, seque eiusdem arbitrio dedidit; à quo cum iuniore Durlacensi, Bannerij cognato, alijsque bis mille septingentis captiuis, Ratisbonam est deductus. Auditâ eâ clade Bannerius, in se conuertenda tela non vanè auguratus, deserto Chambio per Misniam Bresnizium, hinc Zwikauiam se proripuit, sparsim desertis grauioribus impedimentis, stratisque per syluam arboribus, vt instanti à tergo Archiduci moram inijceret. Hîc Rosæ Tubaldij ac Stallhansij accessu robustior, pugnam offert Archiduci, at iste salubrioribus intentus, declinato conflictu, recuperandis vrbibus vires admouit, & vno quasi impetu Osterwicum, Goslauiam, Hornburgum, aliaque complura oppida feliciter recepit. Infor-

Cæsar fugã spectantes Principes, suo exemplo ad constantiã animat.

Leopoldus Slangium profugum in syluam Hercyniã obsidet:

dedititium cum suis mittit Ratisbonam:

Bannerium cogit turpiter fugere:

Infortunatis hisce rerum suarum successibus afflictus Bannerius, ac graui morbo oppressus, Halberstadium delatus fuit, ac 20. Maij vitâ excessit. Archidux verò promulgatâ Ratisbonæ per insignem Cæsaris clementiam amnistiâ, seu publicorum delictorum obliuione, Pragam se contulit, & cum Piccolomineo ac Gelenio negotium egit soluendæ ad Wolffenbitum obsidionis, quam incredibili virtute Rauschenbergius cum Cæsareo Bauaricoque præsidio sustinebat: moxque re maturè deliberatâ, accessuque Mercij & Wallhij robustior, vt suorum annonæ securiorem viam pararet, priùs captum Gottenburgium, Bernburgum, Querfurtum & Zwikauiam munit: tandemque, tentato priùs, sed incassùm Augusto Brunswicensi Duce, vt promulgatæ amnistiæ beneficio vteretur, ac Wolffenbiti, suæ vrbis obsidione extremo iam eius excidio incumbentes hostes auocaret, in hostem procedit, sexcentosque tritici saccos feliciter vrbi immittit. Nulli se Princeps subduxit periculo, quamuis circum caput vndique maiores minoresque globi volarent, nunc hunc, nunc illum à latere vel abriperent, vel sternerent, & ipsam Serenissimi manum vi emissum ferri frustum impeteret. Res ea quantam Serenissimo magnanimitatis laudem peperit, tantam tulit hosti desperationem, vt iam attritâ obtinendæ vrbis cupiditate obsidionem solueret, seque pars ad Albim, pars ad Visurgim subduceret.

Bannerio ægritudine moriente.

Amnistia Ratisbonæ promulgata à Cæsare.

VVolffenbiti obsidionem soluit.

Hinc ad Eimbecam processit Archidux, quam octidui spatio missilibus potissimùm ignibus ad deditionem coëgit; non sine suo tamen ipsius dolore, quòd tertia vrbis pars omnino conflagrauerit; quamuis nullâ suâ sæuitiâ, sed durâ hostium pertinaciâ, quæ mites pacisci volentis articulos non admittebat. Tentauit subinde Gottingam; sed

Eimbecam ad deditionem cogit.

ſed rei arduitate prohibitus, & vt ſanguini ſuorum parceret, Konigſmarchium in Saxoniâ aggredi maluit, & Roſam ductore Piccolomineo cæcîdit.

Piccolomineo Duce Koningsmarchio capto, Rosam cadit:

Quoniam verò iam rigidior Nouember ſuadebat requietem militi, hoſtis in Brunſwicenſi & Luneburgenſi Ducatibus ſedem fixit; Sereniſſimus verò Archidux ſuum per Thuringiam, Halberſtadienſem, Magdeburgicamque ditionem in hiberna diſperſit. Nec diu ſubſtitum: ſed iacto ſuperatoque ad Tangermundam ponte, miles Albim inter & Hauelam collocatus; cui ſuſtentando cùm Iagerendorſius Princeps promiſſam Berlino annonam non ſubmitteret, Berrenburgum ad Salam eſt traductus.

militem in hiberna distribuit:

Hîc quieſcentem,per Weiſſenfeldiam repentino impetu obruere hoſtis meditabatur; ſed induſtria ac celeritas Piccolominei Weiſſenfeldiam præripuit,hoſtem conſilio deiecit,poſtremum agmen inopinato aduentu profligauit, reliquum exercitum in confuſionem egit, & fugitiuum in Thuringiam compulit. Elector Saxoniæ felici rerum ſucceſſu non modicum recreatus, copioſum viris equiſque pabulum ſubminiſtrauit; nec minus Cæſar Pragâ ſubmiſit. Sereniſſimus Archidux ſumptâ occaſione Electorem inuiſit, & quâ hic aliàs in Imperatorem Domumque Auſtriacam ferebatur, inclinationem fidelitatemque confirmauit. Vnde non multò poſt copias ſuas Cæſareis coniunxit, & ſociatis viribus Gorlicium occupauit: Hatzfeldius verò Dorſtenam munitiſſimam vrbem vi expugnauit.

hostem insidiantē fundit, & fugat:

Electorem Saxoniæ arctiùs obstringit Augustæ Domui:

socijs armis Gorlicium occupat.

Sereniſſimus tandem Viennam ad Imperatorem delatus, impoſitâ ſibi belli Prouinciâ liberari poſtulauit. Quam in rem vrgentes rationes admouit: Iam ad eum ſtatum reductam belli conditionem, vt facilè per alio-

Missionem à belli curis à Cæsare petit multis rationibus:

K rum

rum capitum, ac præsertim Piccolominei probatam virtutem, felicitatem & experientiam sustineri possit: obligationem suis Ecclesijs miserè afflictis coràm inuigilandi: impares suas vires tanto oneri gerendo, cui & Imperatoris Coronæ, & vniuersa Austriacæ Familiæ incolumitas inniteretur: breues nimiùm concessæ auctoritatis terminos, cùm sine Aulæ decreto non liceat ad prudens arbitrium agere, de Ducibus disponere, & oblatis occasionibus vti: disciplinæ militaris dissolutionem, siue ex facili cuiusque inferioris ad Aulam recursu, facilique admissione, non sine auctoritatis suæ contemptu; siue ex annonæ stipendiorumque defectu, primo ad militarem licentiam stimulo, exortam. Verùm nec Serenissimi Archiducis probata virtus, nec quæ ab Imperij Principibus agebantur consilia de mutandis belli capitibus, & extraneorum loco, qui potiùs rebus suis quàm bono publico studerent, sufficiendis Germanis, vt petitioni condescenderet Ferdinandus, concesserunt.

non tamen impetrat.

An. M. DC. XLII.

Dorstensonius Bannerio suffectus, vsus occasione militis hibernantis,

Intereà Dorstensonius Bannerio suffectus, ad Albim nouis stipatus copijs comparet; nihil tamen, inuigilante vndique, rerumque satagente Serenissimo, tentare ausus, militem superato Albi in Lusatiam trahit, obruturus repentè Francisci Alberti Saxo-Lauenburgici, iam ad munitionis bellicæ Præfecturam assumpti, & tunc Viennæ apud Cæsarem agentis, quiescentem in hibernis exercitum. Iamque Gubam acceperat Silesiæ finibus adsitam, cùm periculum spectans Fernemontius, nouis ausibus celeritate obuiat: quatuor equitum legiones Sprottauiam inter & Soram, tum ad Traiectum Bobotæ, tum ad obseruandos hostium motus, collocandas decreuit; duas verò Webelij & Burij legiones vrbi immittendas. Quæ quidem rerum dispositio suffecisset ad arcendum Glogo-

Glogouiâ hostem, nisi Franciscus Albertus Viennâ redux, consilia mutasset, & restitutum libertati Slangium ad castra secum deduxisset; qui exploratis Cæsareorum viribus & consilijs, properè ad Dorstensonium contendit, modumque Glogouiæ, nondum grauiore præsidio munitæ, quantocyùs occupandæ suggessit. Quo accepto Dorstensonius, momento relictâ Gubâ, nullo resistente traiecto Boborâ, Glogouiam cingit, & tridui spatio in potestatem redegit. Huius vrbis iactura, dum Archidux cum Piccolomineo apud Imperatorem detinetur, omnem rerum faciem immutauit, & cœpit fortuna ad Dorstensonium respicere, quæ Bannerium auersabatur. Nam copiosâ annonâ refecto milite, sine morâ Wolam & Trachenbergam occupat, Strigam verò obsidione coronat. Spreta Fernemontij consilia serò indoluit Franciscus Albertus: ad seruandum ergo Schwidnicium cogitationes conuertit, & assumptis sexies mille equitibus, vespere è castris mouit, vt locum cum aurorâ ingrederetur. Nec lentior fuit Dorstensonius: id enim molimen vbi accepit, Strigam minis magis quàm vi ad deditionem cogit, & citato cursu Schwidnicium properat: altero inde lapide Cæsarianos assecutus, primum agmen aggreditur, & frangit, ceterasque turmas in fugam conuertit; ipsum Franciscum Albertum saucium capit, qui in manibus hostium post paucos dies ex vulnere obit. Tum Fernemontius firmatâ ex consilio Principis Lignicensis Vratislauiâ, Brigâ, & Nissâ, mandatum accipit, vt Buchemio se ad Olomucium coniungat; id si viribus hostium prohibeatur, per Vngariæ limites in Austriam properatò tendat, & quoquo modo exercitum conseruet. Dorstensonius victoriâ vsus, Schwidnicium tertio die ab ignauis defensoribus accipit: Nissam per Wittenbergium cingit:

& Leopoldi cum Piccolomineo Viennæ agentis, Glogouiam occupat;

& rerum rectè adhuc à Leopoldo gestarum, faciem mutat;

Cæsarianas vrbes, & copias multas opprimit;

ipſe Fernemontium, qui iam ad Vngariæ fines euaſerat, perſecutus, Olomucium venit. Hîc ad iactantiam fortè magis quàm ad vim parandam, equitatum explicat, vrbem ſibi victori dedi poſtulat; & inſigni, vt fama eſt, ſtratagemate die tertio impetrat. Suam Gubernator vrbe coniugem emiſerat: hanc ſe captiuam tenere finxerat Dorſtenſonius: maritus credidit, & vxorius nimiùm, cum vrbe hoſti deditâ coniugem commutauit; non ſine documento, quid coniugis amor ad ignauiam poſſit. Hinc Niſſam progreſſus, quaſi iam ſibi fortunam obligaſſet, facili negotio obtinet. De colligendis fractæ felicitatis reliquijs agebat Archidux cum Imperatore: Piccolomineum, quem ab armis remouerat æmulatio, rurſus admouit neceſſitas. Contractum, & ad Brunam à Piccolomineo collectum viginti millium exercitum adit Archidux, & præſentiâ ſuâ, facundiâ, ac innatâ benignitate animos addit. Hîc Brigæ obſidione liberandæ ſuſcepta conſilia. Præmittitur Montecuculus cum mille quingentis equitibus, & pauco deſultoriorum numero, vt rerum ſtatum ad Brigam exploret. Rem ille inſigni prudentiâ, dexteritate & ſilentio aggreſſus, priuſquam venire intelligeretur, Oppauiam attigit, ex improuiſo turmas aliquas deleuit, vrbe præſidium omne ad arcem fugauit: cui intra portas ad aduentum Sereniſſimi Archiducis continendo, turmas aliquas ſuorum deſtinauit. Montecuculo iter proſequente adeſt Archidux, & Slangij equitatum profligat. Interim Brigæ, hoſtis, ad frangendam propugnatorum conſtantiam, continuatâ in diem noctemque pilarum tempeſtate, terrebat muros, tecta miſſilibus ignibus obruebat, mœnia ſubiecto pyrio puluere euertebat, vt integris iam ordinibus patêre aditus videretur. Sed rem ſtrenuè fideliterque gerentibus Lignicenſibus

LEOPOLDVS ruentem hoſtem ſiſtit,

Slangium profligat,

censibus Principibus, Georgio, Ludouico, & Christiano fratribus, Ranfftio & Moncada Colonellis, maior erat resistentium virtus, quàm impugnantium furor: quoties enim per disiectorum mœnium ruinas enitebantur isti, toties illorum impetu ita in præceps agebantur, vt præeuntis lapsus esset multorum sequentium ruina.

Dorstensonium cogit soluere obsidionem Brigæ. Sub diem 21. Iulij accepto vicini Archiducis nuntio creuerunt obsessis animi, vt eruptione factâ hostium propugnacula superauerint, præsidium omne deiecerint, & murales machinas adactis clauis obstiparint, ac spem omnem vrbis vi superandæ Dorstensonio ademerint. Quare mitioribus agendum ratus, ad benigna pacta inuitat: sed quos non expugnauerat terror, non mouerunt blanditiæ. Exerit ergo supremas vires Dorstensonius iniectis subiectisque ignibus; sed quia nihil cadebat ad votum, violentiore vrbis accessu abstinuit. Vbi verò profligatum ab Archiduce Slangium accepit, & propiùs abesse vniuersum Cæsareorum exercitum, receptui canit; & fractum consumptumque laboribus militem aduenientibus non ausus opponere, diu frustrà tentatam vrbem deserit tantâ festinatione, vt plures fluuius hauserit.

ipse aliquot vrbes capit; Archidux verò, vbi lapso & attrito præsidio recens validiusque suffecit, per Montecuculum Oppauiæ arcem accipit, dein Littauiam & Eylenburgum. Inde Vratislauiam delatus, simulato in auersum latus itinere, repentè ad Glogouiam constitit, quam mox omnium machinarum pulsibus verberare cœpit: iamque obtentâ loricâ tenebat fossam, cùm vires Suecicas sex millium virorum accessu validiores, ad vrbem promoturus Dorstensonius Benteni sistit. Multis ad pugnam velitationibus à Cæsareis lacessitus, cautus magis quàm temerarius, id egit vnum, vt auxiliares copias vrbi immitteret;

 quod

quod non minore facilitate obtinuit, quàm prudente consilio disposuerat.

sua castra Dorstensonianis opponit: Mutanda igitur Serenissimo fuêre consilia, ne vnius vrbis obsidio ipsâ diuturnitate fieret florentissimi exercitus ruina. Quare lento compositoque ordine castra submouit. Dorstensonius verò recentiore præsidio firmatâ, copiosoque commeatu instructâ vrbe, Lemburgum Fridlandumque populatus, in editiore colle castra metatur: Archidux non procul hoste consedit. Frequentibus hîc velitationibus actum est, alternante inter vtrumque æmulum fortunâ. Dorstensonium è loco priorem abegit commeatus inopia, quam prohibebat circumiectam regionem latè populatus Cæsareus eques, & numerosa Saxonum præsidia, quæ vicinis oppidis insidebant. *hac commeatus inopiâ, prima se subducunt,* Igitur superato Albi Lipsiam properat, quam vnam suorum metam statuerat, Littauiâ in transitu, citrà moram vllam, secretâ Gubernatoris Saxonici proditione receptâ. *& Lipsiam cingunt.* Lipsiam deinde æquioribus circum locis insedit, præmisso ad auspicandam obsidionem Konigsmarchio, quem biduo pòst cum totâ exercitus mole insequitur. Res vtrimque pari calore parique virtute est acta; his mœnia ferociter euellentibus, illis inscendentes viros ferro ac flammâ præcipitantibus.

Dorstensonius relictâ vrbe, LEOPOLDO accurrenti totis castris se opponit. Intereà Serenissimus superato Albi propè subsecutus, cui iam ex Ducum consilio definitum erat, aut hostem Lipsiâ dimouere, aut cum vniuersâ acie confligere, per Buchaimium explorat hostium castra, vires & consilia. Dorstensonius imminentis Archiducis conscius, ne vrbem inter & exercitum Cæsareum medius, & à tergo & à fronte pugnare cogeretur, submoto vallis exercitu, ne quid discriminis immineret ab vrbe, æquiorem locum insumpsit, Cæsareis frontem porrecturus. *Concurritur.* Conseritur ergo die

die alterâ, magnâ vtrimque ſpe ac virtute. Fractum primo impetu ſiniſtrum Cæſareorum cornu, inſtante Stallhanſio & Wittenbergio; ſed & ſiniſtrum Suecorum, vrgentibus Comite Bruaij, Hannibale Marchione Gonzaga, & Barone Borniuallio, conuulſum omnino ac laceratum; eques in fugam actus, pedes profligatus, occiſi Liliekius & Slangius, plures currules machinæ in poteſtatem redactæ, plenæ victoriæ ſpem propè certam faciebant, ſi leuioris armaturæ miles imperijs Sereniſſimi Archiducis obſecutus, fugientium tergo inſtitiſſet. Quam primus impetus ancipitem faciebat, certam ſequens Dorſtenſonio fecit victoriam: auctus enim dexterum hoſtis cornu acceſſu recollecti per Konigſmarchium ſiniſtri; atque inde reſumptis animis, priorem labem inſigni victoriâ deleuit; equitatu Cæſareo in fugam coniecto, peditatu in vicinum ſaltum coacto, ac per machinarum aſſidua, & in quincuncem librata fulmina ad deditionem compreſſo, vitâ ter mille hominibus ademptâ, centum ſexdecim vexillis, & quadraginta muralibus machinis ereptis; captiuis ductis, Generalibus Fernemontio & Suyſio, Tribunis tribus, ac quindecim alijs Præfectis, Erfurtum illatis. *Leopoldiani primò, mox Dorſtenſoniani profligantur,*

Piccolomineus, vt dubiam faceret hoſti victoriam, perſtabat adhuc cum paucis in arenâ: ſed ſæpiùs medijs implicitus hoſtibus, ſæpiùs eluctatus, in manus veniſſet, niſi Theodoricus Giſlerius ſeſe in ſedecim inſequentium globum ferociùs immiſiſſet, & ſui captiuitate Ducis vitam redemiſſet. Sed & Archiducis imperterrita magnanimitas inter ipſas rerum fracturas ſui ſpectaculum fecit, qui iam à cornibus, iam à medio, iam à fronte hoſtibus obiectus, omnes fortis ſtrenuique Ducis partes obibat, non ſine periculo excipiendæ glandis, quam de manuali *fruſtrà virtutem oſtendente Piccolomineo, ac præcipuè* LEOPOLDO;

fiſtulâ

fistulâ audacior quidam Succus intentabat. Rebus itaque trium horarum spatio omnino fractis, Serenissimus Littomericium elapsus est; Piccolomineus Lipsiam, ac inde Zwikauiam, miserandas tam florentis exercitus reliquias collecturus.

quem portento, etiam hosti viso, seruauit Deus.

Illud memoratu dignissimum, quod è Succis captiui omnes, primùm spontè, deinde sæpiùs ritè quæsiti, constanter edixerunt; ipso feruore prælij, visum esse à totâ Suecorum acie insignis speciei virum, qui albo vectus equo quamcumque Serenissimus volaret in partem, semper dextero illius lateri adhæreret. Quod sanè præclarum est Dei pium Archiducem protegentis documentum; cùm vniuerso Cæsareo militi constiterit, neminem vmquam, qui vel Ducis fungeretur munere, vel albo veheretur equo, dexterum eius latus insumpsisse: vnde cogitare licet, Tutelarem eius Angelum etiam hostibus declarasse, quâ pium clientem curâ fouêret.

Lipsia victori deditur.

Dorstensonius ergo prælio lassus, & cæde cum victis ferè pari debilitatus, campi tamen dominus, dies paucos suorum quieti, restaurandoque peditatui dedit; tum verò acriùs instare Lipsiæ; Pleissam fluuium, qui vrbem interlabitur, opposito aggere auertere; mœnia demoliri, immani ferociâ assilire. Sed non minore virtute & constantiâ iunctus præsidiario militi ciuis resistere, & quà ferro, quà flammâ, quà obiectis repagulis vim arcere; donec occultis Sleinizij vrbis Præfecti, & Trondorffij arcis Gubernatoris pactionibus, inscio ciue initis, vrbe potitus est, & trecenta aureorum millia, ad redimendam ciuitatis direptionem, à ciuibus admisit.

Archidux Pragam delatus, vulneratis Ducibus, alijsque inferioribus in nuperâ pugnâ exhibitæ virtutis ac fortitudinis stipendia elargitus, restaurandis copijs incumbebat.

Iamque

Iamque acceſſu Hatzfeldij, Wallhij, Lotharingicarum, Bauaricarum, & Saxonicarum copiarum animoſior, rurſus ſoluendæ obſidionis Lipſienſis conſilia ſuſceperat; cùm Pilſnâ Zeppeliam deducto exercitu, intellexit vrbem defendentium ignauiâ hoſti traditam. Ergo cùm deuolutus ad hiemem annus militem vocaret ad focos, tempus datum eſt animaduerſioni in eos, qui primi fugâ ſuâ ex Lipſienſi campo ſemitam hoſti fecerunt ad victoriam; ne impunita paucorum ignauia tranſiret in exemplum multorum. Sex igitur fortiorum legiones Rokezanam conuocantur, ſtatuiturque in medio Madlonij legio, quæ prima integram adhuc aciem fugâ deſerüit. Exprobratur commune toti legioni delictum: exuuntur omnes armis, dilacerantur ſigna, eraduntur ex Albo Cæſarei exercitus nomina; turmarum ductores ad gladium, ſigniferi, inferiores Præfecti, & gregarius quiſque decimus ſorte lectus, ad laqueum condemnantur. Madlonij ipſius cauſa in vlteriorem cognitionem delata eſt: ſed anno vertente, illo ipſo die, qui inſigni ſuo ſuorumque ſceleri annuus fuit, quo Eccleſiæ Cathedralis Olomucenſis theſaurum interceptum, & ſuam & ſuorum prædam fecerat, debitas pœnas luit. Admonuiſſe eum videbatur Deus immiſſo horrore, cùm è ſacrâ illâ ſupellectile brachium argenteum, & ei incluſa Sanctorum lypſana attingeret: & deinde rerum omnium & actionum euerſa fortuna. Quæ cùm illi iam ad mortem condemnato à Societatis IESV Sacerdote in memoriam reuocarentur, & ad agnoſcendam iuſti Iudicis ac ſcelerum vindicis manum traherentur, id effecerunt, vt qui hactenus perfidiam hæreticam profitebatur, veræ Fidei manus daret, & ad extrema munitus, in publico theatro magnâ animi conſtantiâ, & ſui ſecuritate, caput gladio truncandum ſubijceret.

antequam LEOPOLDVS cum reparatis copijs adeſſet.

A fugitiuis in prælio Lipſienſi, ſupplicium ſumit:

Madlonium hæreticum, Tribunum fugitiuorum, gladio ſubijcit;

qui vindicem Deum reus agnoſcit,

& Catholicus moritur.

L Eodem

Chiliarcha de Four ob inobedientiā Pragæ plectitur. Eodem tempore Chiliarcha de Four Pragæ supplicium tulit insignis suæ inobedientiæ, quòd dissimulato Serenissimi ac Piccolominei imperio, in eâdem fatali pugnâ aduersus hostem non processerit. Cuius sui delicti caussam, iam ad mortem generosè obeundam firmatus, ingenuâ professione conscientiæ grauioris peccati attribuit, cum addito; Fieri non posse, vt qui norit, quanta peccati sit malignitas, & eidem incumbens supplicium, eoque vinctus teneatur, in acie generosè dimicet; quin magis omnem euadendi, vitamque conseruandi occasionem circumspiciat.

LEOPOLDVS Piccolomineo committit exercitum: Sub hæc Archidux, exercitus curâ Piccolomineo commissâ, Pragam, inde Viennam mouit, plenus spei, se militari curâ ab Augusto Imperatore soluendum; ad quod negotium cum suâ Maiestate pertractandum, iam Pilsnâ Comitem Santhilierum præmiserat, ijsdem, quas anno superiore ad eam gratiam obtinendam allegauerat, rationibus instructum, nouis insuper adiectis: Patêre iam prudenti iudicio rem ponderantibus, Deum non *iteratò missionem vrget à Cæsare, & perurget,* secundare arma Cæsarea, propterea fortè, quòd ipse desertis suis Ecclesijs Martem profiteatur: præsentiam suam à Capitulis, præsertim verò Passauiensi, vrgentissimis litteris desiderari: tempus huic rei nunc esse opportunissimum, quo terrore nuper Rokezanæ in Madlonianos ad-*humanorum iudiciorū contemptor.* uersionis totus exercitus sit compositus: non posse se amplius tutâ conscientiâ Ecclesiasticos prouentus bello gerendo impendere: denique etsi se post infelicem pugnam mundus iudicet vel animo despondisse, vel desiderijs suæ Maiestatis non satisfecisse, se non tanti facere iudicia mundi, quin suam ijs conscientiam prælatam velit.

Piccolomineus Freybergâ Dorstensonium abire cogit. Dorstensonius interim Freybergam strinxit, nullo lucro, iacturâ multâ. Nam post quindecies millies diplosas machi-

machinas, post bis mille incendiarios globos iniectos, post quatuordecim elusos cuniculos, à superueniente Piccolomineo obsidionem soluere coactus est.

PROLEGOMENON II.

Iterùm armorum Cæsareorum gubernationem suscipit.

QVam Serenissimus gratiam ardui armorum ponderis deponendi tam instanter postulauerat, tandem Imperator sub nonam Martij sequentis anni, magnoperè dilaudatâ eius industriâ, magnanimitate, fortitudine & fidelitate, ægrè licet, tamen fraternâ beneuolentiâ concessit. Archidux verò se ad Passauiensem sedem reduxit, tantoperè desideratæ suæ quieti, & Ecclesiasticæ professioni vacaturus. Sed vix annum medium sacro illo otio fruitus, reuocatur ad Imperatorem, vt rebus adhuc nutantibus adsit, saltem consilio suo & prudentiâ, quam tantâ belli experientiâ comparauerat. Quæ exinde anno huius sæculi 43. & 44. gesta sunt, cùm ad præsens institutum non faciant, consultò prætereo. Venio ad ea, quæ sunt Belli-ducis Leopoldi.

LEOPOLDVS belli imperio exsolutus, ad curam Ecclesiarũ se conuertit.

Infelix ad Iancouiam Hatzfeldij cum Dorstensonio conflictus, terrore Pragam ac vniuersam Bohemiam impleuerat, & calamitate Morauiam ac Austriam inundauerat. Nam Dorstensonius præmissâ victoriæ suæ, clarisque nostræ famâ, summâ vsus celeritate, antequam vel consilia rebus desperatis suppeterent, quaquà per Morauiam graditur, sine repulsâ admittitur: captâque Nouadomo, ac Znoymâ, turbinis in morem sese in vlteriorem Austriam infundit; & citra arduum oppugnandi laborem Lithopolim, Crembsium, Laabam, Corneoburgum,

Annò M.DC.XLV. Dorstensonio latè victori iterùm cum Imperio opponitur:

& naturâ munitissimas arces Falckenstemium & Stazium sibi subijcit, ac præsidio & annonâ munit: denique ad ipsos Danubij pontes, vno lapide Viennâ dissitos (quos iam timor accelerantis victoris exusserat) violenter effusus, castrum adiacens (quod idem terror defensore milite euacuauerat) occupat. Aduenerat interim Ratisbonâ Imperator: illicò Leopoldum aduocat, qui Lincij, prudentissimo consilio, quatuor millia fidorum capitum in defensionem Patriæ armauerat, vt iteratò armorum gubernationem suscipiat. Adest ille, obsequitur Cæsari, ac præsenti necessitati, Prouinciam imperatam aggreditur animo suæ virtuti non impari.

celeriter & feliciter rem gerit:

Tripartitus exercitum Dorstensonius, partem vnam flumen Crembsium transire iubet; alteram Gabrieli Bakos, rebellionem mouenti, subsidio mittit; tertiam sibi ad cingendam obsidione Brunam reseruat. Consiliorum non ignarus Archidux, firmat præsidio Brunam, cui præficit Baronem de Souches: septem millibus munit Pilsnam, Raconizium, aliasque milite destitutas Bohemiæ ciuitates. Montecuculum cum quinque millibus ex Silesiâ euocat; qui ad Matthusium traiecto Danubio summâ celeritate præsentem se sistit: per Chiliarcham de Wirbna, qui feliciter per medios hostes eluctatus est, Brunæ submittit auxiliarios equites, ac desultorios, puluerisque pyrij sufficientem copiam. Mox securiorem redditurus Danubianum agrum, Castrum, quod ponti adsitum tenebant Sueci, graui globorum tempestate aggreditur, & aperturâ factâ per aduectum secundo Danubio, &, nil opinantibus Suecis, è nauibus erumpentem militem, citra sanguinem occupat; ducentos & quadraginta præsidiarios, qui locum tuebantur, suis immiscet non repugnantes. Eadem felicitate per Comitem Pompei exturbat Sue-

cos

cos Insulâ Danubij, quam ad Crembsium insederant: atque ita liberam tutamque reddit fluminis nauigationem. Vt verò rebus futuris de neruo prospiceret, pretiosissimum omnem suum thesaurum mercatoribus oppignorauit.

Varia in eo rerum statu pericula obuersabantur Archiduci. Intestinis motibus, Austriæ perniciosis, fluctuabat Dacia: Saxo contra Konigsmarchium poscebat auxilia: Gallus numerosum exercitum sub Angiano Duce destinabat in Imperium: Bruna obsessa subsidium recentesque vires postulabat. Saxoni ergo primùm ter mille viros submittit: Brunæ pollicetur, ac breuî pôst nouas iterùm vires immittit, dilaudatâ virtute, quâ hactenus insolentem hostis audaciam represserat: ipse cum exercitu in Vngariam mouet, locatisque Thebæ castris, turbat Racozianas copias, commeatum intercipit, per Saradezkium, supremum vigiliarum Præfectum, aggreditur Gabrielem Bakos, multos captiuos facit, plures interimit: cogit demum ad æquas pacis conditiones à Cæsare acceptandas. *Racozium ad pacis conditiones cogit.*

Dum hæc aguntur à Serenissimo, Deus victoriosum Suecorum exercitum, & sparso quaquauersum sui terrore formidabilem, singulari prouidentiâ Brunæ affixum detinebat; vt qui timore deiectam vniuersam Austriam suæ fortunæ prædam destinauerat, vnius vrbis, non tam arte aut loci naturâ, quàm fortium virorum pectoribus munitæ, laudabili constantiâ attereretur. Quæ hostis seu ingeniosus furor ad stratagemata, seu armatum robur ad violentiam tentare potest, non intermisso quatuor mensium labore, Dorstensonius æquè pertinaciter ac impetuosè admouit: sed quidquid vicissim prudentissimi fortissimique Gubernatoris Baronis de Souches industria ac vigilantia;

ad Brunam Dorſtenſony eã fruſtrà obſidentis exercitũ penitùs atterit:

quidquid coniurata valebat militum, ciuium, ſtudioſorum, Religioſorum, ipſarumque adeò feminarum, ac omnis ætatis conſtantia, ſeu ad eludendos aſtus, ſeu ad reprimendas vires, numquam optato fruſtrati euentu, numquam laſſatâ virtute, reponebant. Præuenta incendia tectorum demolitione, & promtâ paratâque in ædium ſummitatibus aquâ; eneruati per artem cadentes pyroboli; ſuffoſſi cuniculi plures vicenis, vt ad mœnia arcemque directi expirarent in auras: coniuncta vrbs arci per tectam vtrimque aggeribus viam; mœnium ruinis aut fortiores ciues militeſque ſuffecti, aut repagula oppoſita; aſſultus omnes, iique frequentes, generosè repreſſi; eruptionibus crebris, numquam infortunato euentu, carptus cæſuſque hoſtis; ſuffecta in fomitem librandis glandibus ſupellex linea, ſtannea in globos; priuata cuiuſque ciuis annona in publicum vſum conuerſa; mira conſiliorum voluntatumque conſpiratio conſeruata: denique hoſtis eouſque attritus, vt poſt iacturam plurium quàm aperto conflictu interimi potuiſſent, deſperatione actus, non ſine dedecore vrbem deſeruerit. Hæc eſt famoſiſſima illa obſidio, quæ Baroni de Souches immortale nomen comparauit, & ad Comitis titulum altioreſque militiæ dignitates meritò euexit; ciuibus & ſtudioſis ab ipſo Cæſare laudem, gratiarum actionem, ac priuilegia ampliſſima; militibus remunerationes, agente Sereniſſimo, impetrauit.

defenſoribus laudes & præmia à Cæſare LEOPOLDVS *procurat:*

Quoniam verò Dorſtenſonius deſertâ vrbe, remiſſis, quas à Racozio in ſubſidium acceperat, Tranſyluanicis copijs, attritum exercitum ſuum in Bohemiam trahebat, eò quoque Sereniſſimus Archidux prouidam ſollicitudinem præmiſit. Pragam mille ſclopetarios cum ſufficiente annonâ mittit: Buchaimium cum ſeptem legionibus

Budwi-

Budwicium; Chiliarcham Kappaun cum tribus millibus Pisecum; Hannauium, supremum vigiliarum Præfectum, Glacium destinat; Fernemontium cum aliquot millibus Brandisij locat. Hæc vbi à Serenissimo disponi videt Dorstensonius, seu mœrore ex infelici Brunensis vrbis obsidione concepto, seu aduersam corporis valetudinem comitante bellorum fastidio, ponit supremam militiæ Præfecturam, eamque in Gustauum Carolum Vrangelium reclinat.

cogit Dorstensoniũ, acceptis etiã suppetijs belli, imperium ex desperatione in Vrangeliũ transferre:

Satis arbitratus Bohemiæ prospectum, Serenissimus Archidux curas in Imperium ad Rhenum conuertit; vbi Ludouicus Borbonius Princeps, Turenio ac Bullionio iunctus, cum viginti duorum millium exercitu grassabatur: & iam acceptis Rottenburgo & Exenfurto, cæso ad Allersheimium Mercio Bauarici exercitus Duce, occupatâ Philippoburgo, Manheimio, Moguntiâ, Spirâ, alijsque vrbibus, minacior Bauariæ imminebat. Quare assumptis sex millibus lectorum equitum, ex Austriâ magnis itineribus in Sueuiam properat; vbi in comitatu Hollocensi securè agentes Gallos omnino oppressisset, nisi præuola acatholicorum proditio, eos aduentus Serenissimi Archiducis admonuisset; quo intellecto illi, agente metu, Philippoburgum elapsi sunt. Insequitur Archidux, & auræ inclementiâ, ventorumque asperitate nihil præpeditus, silentibus tubis, mutisque tympanis totam noctem progressus, manè inopinatus adest, & Turenium trans Rhenum feliciter agit, magnâ equitum peditumque occisione. Inde Mergenthaliam, Winfenam, Dunkelspilam, Rottenburgum non minore felicitate recuperat.

Ludouico Principi Borbonio ad Rhenũ victori occurrit cum exiguâ manu, & grassantem sistit:

Elector Bauariæ nec hostilem nec amicum exercitum suis Prouincijs infundi amabat. Sapienter enim præuidebat, ab vno vastitatem ditionibus inuehi, ab altero calami-

Bauarum sua ditioni metuentem confirmat:

lamitatem: ideò potentius à Cæsare subsidium summâ celeritate submitti postulat; ne cùm imparem se tanto bello gerendo sentiat, cogatur, duris licet sibi, Galloque fauentibus conditionibus pacisci. Properantur ergo per Comitem Pompei auxiliares copiæ: Serenissimus verò Archidux sumptâ propinquitatis occasione, Monachij Electorem conuenit, communicatisque quæ in hostem designauerat consilijs, ac iam aduentantis auxilij fortitudine & certitudine dubitantem Electoris animum confirmat.

Rebus demum ad Rhenum prosperè gestis, Serenissimus Archidux exeunte anno Viennæ redditur, & collatis cum Imperatore consilijs, rem contra hærentem in visceribus hostem in Bohemiâ & Austriâ gerendam suscipit.

An. M.DC. XLVI.

Wittenbergio in Silesiâ opponit Montecuculum: Austriæ vrbes Stein, Crembsium & Corneoburgum per Buchaimium recuperat: per Baronem de Souches arces naturâ loci munitissimas Nicolspurgum, Meypergam, Rauensburgã, Falkenstemium & Statziam recipit. Montecuculus abigit Namslauiâ Wittenbergicum, occupat Frankenstemium; & præsidium quod se in Donjon receperat, ad deditionis leges cogit; Lehuhausium in editâ rupe situm vi expugnat; Oppauiam, quam vndique pulsus Wittenbergicus inuadere decreuerat, præsidio per Comitem Wirbnam munit, spem obtinendæ vrbis adimit, & accedentes Grossenâ tres legiones profligat: ipse Serenissimus Vrangelium, qui præcipuum trahebat Suecorum exercitum, insequitur, & purgatâ Bohemiâ, vsque in Hassiam Darmstadianam compellit. Iunguntur subitò Sueci Gallis in Wetterauiâ. Archidux, aduocato Westphalicarum copiarum Duce Melandro, castra locat non procul Niddâ fluuio. Stabat vterque exercitus suis instructus ordinibus, pugnæque auidus: præter velitationes tamen actum

Austria & Bohemia contra hoste succurrit, cum ereptis locis pluribus: in fugam compellit: Gallo iunctum, oblato prælio prouocat,

actum est nihil. Hostilis enim exercitus diuisi pars vna Duce Turenio ad Danubium vertitur; Archidux Danubij transitum prohibiturus, Ratisbonam præuolat. At Vrangelius, simulatâ in agrum Moguntinum irruptione, Franconiæ infunditur, eâque summâ celeritate peragratâ Nordlingam ac Donawertam accipit; accitisque Turenio ac Konigsmarchio, deletis octingentis Bauaricis, occupatis Lanspergâ, Rainâ, Schorndorffio, ac Lauengenâ, vnitis viribus Augustam Vindelicorum obsident. Elector Bauariæ submittit quadringentorum equitum auxilium: submouet Lyco molas, abscindit pontes, equos vndique è circumuicinis locis auocat, animat vrbem, & mox adfuturum Archiducem spondet. Quidquid postulationibus, promissis, vi ac minis ageret hostis, elusit constantia. Serenissimus Archidux iunctus Hatzfeldio, Gelenio, Rauschenbergio ac Werthano, Straubingam inter ac Landishutum recenset suorum triginta millia, Lycum traijcit, & Augustæ appropinquat. Vrangelius seu metu frangendi sui exercitus, seu spe potiundi Bauariâ, obsidione dimissâ, Lyco ad primum aduentum Serenissimi superato, Bauariæ se infundit. Archdiux verò vrbem ingressus, Deo, consueto suo more, gratias reddit: ac sua statim consilia Monachium dirigit, vbi Sueci latè omnia populabantur. At rursus hostis vela in Sueuiam vertit. Archidux per abscissum Melandrum, & in agrum Coloniensem dimissum, liberat obsidione Zonsam; Enskirchium, eiecto Hassico præsidio, munit suo, & Balduino Remontio ad recipiendam Paderbornam copias transscribit. Garnerium verò Coloniam mittit, vt pecuniam adferat, & Hermensteynio prouideat: quibus accuratè præstitis, etiam Asschaffenburgum, Stanhaimium, & Mildenburgum Moguntino restituit. Sensit Bauariæ Elector vastatæ

eumdem post occupata loca aliquot, Augustæ obsidionem soluere cogit:

à Bauariâ grassantem auertit:

Coloniensi & Moguntino succurrit:

patriæ calamitatem : quare ſe cogi exiſtimabat ad ineundos cum Suecis contractus. Ideò Sereniſſimus Archidux impetratâ iam aliàs miſſione, ſenſum hunc, remque omnem cum Cæſare collaturus, ac Belgij gubernationem aditurus, vergente ad exitum anno, Viennam ſe confert, & armorum Cæſareorum imperium deponit.

Cæſarei belli dimiſſo imperio, ad Belgij gubernationē accingitur.

PROLEGOMENON III.

Ordinis Teutonici Magnus Magiſter eligitur.

Ordinis Teutonici ad Magiſterium generale poſtulatur LEOPOLDVS, *loco Patrui, ſub annū 1624.*

TEutonicus Ordo ex proauitâ Germanorum Nobilitate, quâ etiamnum conſtat, à Friderico Ænobarbo in Palæſtinâ collectus, albóque pallio ac nigrâ Cruce inſignitus; ab Henrico Rege Hieroſolymitano aureâ cruce nigræ inſertâ donatus; à Ludouico IX. Galliæ Rege in Palæſtinâ præliante, quatuor lilijs ad totidem Crucis cornua illuſtratus; à Cæleſtino III. Pontifice ſub Regulâ S. Auguſtini confirmatus, ac Religionis votis obligatus; ab Innocentio III. ac Honorio III. alijſque Pontificibus dilaudatus; ab Imperatoribus ac Hiſtoricis de bellicâ fortitudine, de ſuſceptis ad propagandam Fidem laboribus, de Pruſſiâ ac Liuoniâ Chriſtianæ pietati acquiſitâ celebratus; tribus ſæculis ſub triginta tribus Ordinis Magiſtris inſigni ſemper militiæ laude ac pietate Chriſtianâ ita floruit, vt Magiſter Ordinis, Principis titulo iam inde ab Ænobarbo honoratus, primum, poſt Archiepiſcopum Salisburgenſem, ſuffragium in Germaniæ Comitijs obtinuerit; Liuoniæ Magiſter, director perpetuus Confœderationis Anſiaticæ, vſque ad apoſtatam Albertum Brandenburgenſem audierit. Inde poſt ſeptem alios militaris huius Inſtituti Adminiſtratores, ſuprema poteſtas ad Sereniſſimū Leopoldum eſt deuoluta.

Ere-

Erepto viuis Sereniſſimo Carolo Ferdinandi II. Imperatoris fratre, ſub annum huius ſæculi vigeſimum quartum congregata Ordinis Comitia, ſequentis initio, Magnum Ordinis Magiſtrum poſtularunt Sereniſſimum Leopoldum duodennem; eâ lege, vt non priùs Magiſterium adiret, quàm annum ætatis vigeſimum attigiſſet. Interim gubernandam rei molem Ioanni Euſtachio à Weſternach, & hoc poſt anni decurſum fatis ſublato, Ioanni Gaſpato à Stadian detulerunt. Tametſi ergo iam anno huius ſæculi 34. Crucem ſumere, poteſtatemque adire potuiſſet, varias tamen ob cauſas placuit rem differre vſque ad annum 39. quo demum Sereniſſimus à dicto Ioanne Gaſparo à Stadian, præuiâ Pontificis conceſſione hanc militarem poteſtatem cum Epiſcopali coniungendi, Ordinis Eques eſt creatus.

An. 1639. Crucē ſuſcipit, iunctā Infulis Pontificiā poteſtate:

Mox vt Princeps erat ad pietatem natus, primas ad votorum ſuorum perfectiſſimam obſeruantiam curas applicuit, & quædam in hunc finem propoſita conſcripſit: quæ quia ſingularis deuotionis plurimùm habent, hîc libet adiungere.

ad illam rectè gerēdam diſponit ſe per ſancta animi decreta.

Altiſſime Deus, Pater, Fili, & Spiritus ſancte, Trine & Vne, viue & vere, ſummum meum bonum, vnica ſalus, omnis mea gloria & voluptas, Deus infinite amabilis, principium & finis meus, omniumque meorum deſideriorum: Ego Leopoldus, indignus ſeruus ſeruorum tuorum, ante Diuinum tuum conſpectum humillimè proſtratus, conteſtor in hac me votorum emiſſione, eorumdemque repetitione, aliud non reſpicere, quàm purum deſiderium tibi ſeruiendi, tibique vni placendi, qui iam tuus ſum animâ & corpore, ſiue in tempore, ſiue in æternitate, citra omne aliud commodum, quod huc me poſſet inclinare. Cùm verò ſciam ſenſui difficultatem orituram ex obligatione, quam ſecum trahunt, maioris perfectionis, abnegatio-

negationis, & sensuum appetituumque oppressione; declaro & mihi & omnibus, neque mundum meum esse, neque me mundi, sed totum solius Dei. Fretus ergo diuinâ tuâ gratiâ hæc vota emitto; & si mille mundos haberem, quorum venustate, bonis, vtilitate, delectationibus, honoribus, auro, gemmis, gaudere possem, intimo affectu renuntiarem omnibus, & in præsenti renuntio, cum firmissimâ voluntate, omnia generoso contemptu conculcandi; meque tibi his votis obstringerem, & in præsenti obstringo viuacissimo affectu; precorque, vt totus in te transeam, & in æternum sim tuus. Quâ positâ finis mei declaratione, ad maiorem singulorum votorum obseruantiam, nunc pro semper, ac præsertim pro articulo mortis, propono sequentia.

Primò, Odio habendi & animo & opere, quantum status mei conditio ac professio patietur, quidquid mundus habet honorum, existimationis, superbiæ, vanitatis, ambitionis, opum, commodorum & vtilitatis; ac cum summo gaudio viuendi in paupertate spiritus, spoliatus omnibus quæ mundus æstimat & amplectitur, vt te vnum possideam, qui es thesaurus meus infinitus, prosimque aliis, vt tibi seruiant. Quo eodem affectu, ad maiorem paupertatis perfectionem, renuntio omnibus prænominatis, cum desiderio, quoad fieri potest, inhærendi vestigiis Domini mei nudi pro me crucifixi.

Secundò, Per votum castitatis renuntiando omni voluptati, quam desiderare sensus posset, ac ego licitè obtinere; vt Deo vnico potiar, qui solus mihi sufficit. Ex cuius amore statuo, sensus meos ac appetitus continuo bello affligere, nec quidquam iis indulgere voluptatum, quod à te, omnis puræ voluptatis fonte, & vnica animæ meæ satietate, non procedit: amplectorque toto corde hoc sanctissimum castitatis votum, quod est continua & voluntaria meimet, affectuum ac sensuum castigatio, & priuatio omnis delectationis extra te,

Electe

Electe mi, dilecte mi, amabilissime Deus. Atque hæc statuo amore tui, ad perfectiorem obseruationem integerrimæ castitatis tantoperè tibi gratæ, à B. Virgine Matre tuâ inuentæ, & SS. Angelis admirandæ.

Tertiò, Factâ corporis ac rerum externarum, per castitatis ac paupertatis votum, renuntiatione, superest, vt etiam renuntiem animæ per obedientiam, verâ & insigni seruorum tuorum virtute. Ideò propono, omnino extinguere iudicium meum ac propriam voluntatem in omnibus, secundùm Religionis & status mei rationes, occurrentibus obediendi occasionibus, non tantùm me tibi tuæque prouidentiæ submittendo, sed etiam Vicario tuo, quem mihi constituisti, & quocumque tempore constitues, cuiuscumque is sit naturæ, conditionis ac genij: imò & statuo obedire æqualibus, ac inferioribus, in rebus licitis, & tibi gratis; quorum voluntatem semper meæ ita præferam, quemadmodum facerem, si tuam ipse mihi manifestasses. Ideoque in Superiore, te Deum meum intuebor, & illi sicut tibi obediam, voluntatemque meam seponam, vt tibi placeam. Ex hoc eodem motiuo agam, quidquid leges statuunt, & Professio Religionis exigit. Quibus vt debitè satisfaciam, & alijs sim exemplo, maximâ quâ potero perfectione obsequar, cum desiderio obedientiam tuam imitandi, qui fuisti obediens vsque ad infamem & acerbissimam mortem Crucis. Ideò statuo, numquam ampliùs, quoad vixero, resumere hanc meam, non iam meam, sed tuam voluntatem, nec fallax meum iudicium sequi. Quod omni, qui in me viuit affectu propono, sine omni alterius boni aut mercedis intuitu, quàm amoris maiorisque gloriæ tuæ, IESV *mi crucifixe: quem constantissimè credo; in quem confidentissimè spero, quem ardentissimè amo, & amare desidero; quem offendisse intimè doleo, meque paratissimum offero ad omnem tuam voluntatem ac beneplacitum adimplendum.*

Et demum eò pertingere cupio, vbi videam, amem, & laudem te summum meum bonum, brauium, coronam, &

metam miſeri huius vitæ ſtadij in ſæcula ſempiterna. Quo ex capite ſummè deſidero cum auxilio diuinæ gratiæ me tibi configere, amans & amabilis IESV, *Domine & ſponſe, amore mei clauis confixe: nec aliter viuere aut mori volo, quàm clauis votorum meorum amore tui affixus cruci, quamcumque mihi deſtinaueris, per quam mihi in tuâ locum facies; cui me ſemper firmiùs per vota affigam, perque obſeruantiam legum ac ordinationum ſuſceptæ à me* Religionis; *vt tantò expeditiùs ad te metam deſideriorum meorum exhibitione præfixorum bonorum operum pertingam, meque tibi in vitâ, morte, ac poſt mortem in æternum indiſſolubili vinculo uniam. Ideò pleno corde, totâ animâ, puro affectu repeto ſupradicta vota & propoſita: & quod deeſt ad intentionem deſideratam affectui meo, ſuppleant affectus omnium creaturarum, beatorum Spirituum, Sanctorum omnium, beatiſſimæ Virginis, tuus ipſe,* IESV *mi crucifixe, &, ſi licitum eſt, ipſius Diuinitatis: vt hoc holocauſtum tibi gratum ſit, & in odorem ſuauitatis aſſumere digneris, mihique gratiam largiaris ſemper nouos perfectioris obſeruantiæ modos inueniendi, vt ſemper ſim tuus, cui vni ſum totus obſtrictus. Statuo præterea, & tecum paciſcor, æterne & amantiſſime Deus, hæc mea vota & propoſita renouare eâ perfectione, quâ vmquam id fecerunt Sancti tui, ſiue in cælo, ſiue in terris; idque per omnem halitum ac reſpirationem, per omnes internos externoſque motus, tam meos quàm omnium creaturarum, ſiue dormiam, ſiue vigilem, ſine omni interruptione huiuſce meæ tecum ſuſceptæ actionis; quæ ſi contingant non elici actu, fiant tamen virtute huius propoſiti, ad maius robur obtinendum meâ manu ſubſcripti. Die 22. Auguſti, 1639.* LEOPOLDVS.

Quamquam igitur iam tunc ex Ordinis decreto magnum Ordinis Magiſterium adire potuiſſet, tranſactione tamen cum Stadiano conuenit, de gerendo Coadiutoris nomine;

nomine, dum bella concederent, quæ tunc Imperatoriâ poteſtate regebat; de geſtandâ Cruce, magni Magiſterij ſymbolo, de facultate ſuis de rebus per vltimam voluntatem diſponendi, deque licentiâ, ſi Sereniſſimæ familiæ ſtatus ita poſtularet, Ordinem (quod & ſtatuta concedunt) deponendi. Interim ſecutus arma, ipſum Stadianum belli Conſiliarium aſſumpſit. At hunc biennio pòſt confectum ſenio, fata eripuerunt. Votum erat Sereniſſimo, Mergentheimij obire exequias, & auctoritatis ſedem occupare; ſed inuolutus belli ſtatus prohibebat. Itaque capiendæ dignitatis locus Vienna, dies quartus Maij dictus: ad quem Prouinciales Commendatores Alſatiæ & Franconiæ, Procommendator Prouincialis Auſtriæ, Commendator Meurſtadienſis, ac Ordinis Sacerdos, conuenêre, & Sereniſſimum in æde S. Auguſtini, præſente Cæſare ac Auguſtâ coniuge, more inſtitutoque Maiorum, Teutonici Ordinis Magnum Magiſtrum inaugurarunt: Sereniſſimus verò mox eiuſdem Ordinis Equitem creauit Ioannem Ludouicum de Lobenſtain.

Viennæ Magnus Magiſter Ordinis inauguratur:

Suſceptâ dignitate ſuſcepit & curas, imperium ab exemplo auſpicatus. Primæuo inſtituto congruas, vt Ordinis Equites ad bellicas functiones ab otio reuocaret, cogitationes adiecit. Cùm ad expugnandum hereditarium Catholicæ Religionis hoſtem hunc Ordinem natum eſſe intelligeret, ſitum ad Turciæ fines propugnaculum à Cæſare flagitauit, vbi Ordinis Equites ſuam virtutem ac animi fortitudinem Chriſtianitati probarent. Conſentiebat in locum attribuendum Imperator; remorabatur curâ, vnde in eam ſumptus accerſendi.

congregatos Equites in Comitia, ad munera Ordinis hortatur:

Igitur apud Pontificem egit, vt huius Ordinis bona, quæ olim in Hiſpaniâ & Italiâ, citra Equitum demeritum, in alios Religioſos ſunt tranſlata, Ordini reponerentur,

non

non vanitati seruitura, sed Dei gloriæ ac Religionis Catholicæ emolumento impendenda. Quod cùm longiore deliberatione egêre præuideret, ab ipso Pontifice flagitauit, vt dum res agitatur, Ordinis Nouitij Romæ in Teutonicâ domo vnà viuerent, & in Pontificijs triremibus contra Paganos, zeli ac fortitudinis suæ experimentum darent. Vtque ardorem suum re ipsâ Pontifici ac Cæsari probaret, ipse legionem suis impendijs conscripsit contra Imperij Fideique hostes, ad quam sui Ordinis Equites vocauit, eamque sui corporis custodem statuit; & deinde initâ Monasterij pace, in Belgium traduxit, ac campum aperuit gloriæ, quam illi semper strenuè fortiterque sunt secuti.

legioni in hostes Fidei & Imperij suo are conscripta, Ordinis Equites inscribit:

Cùm verò vitam suam diuturnis grauibusque morbis attritam ad vesperam properare animaduerteret, consultum publico Ordinis Ecclesiæque bono existimabat, de successore prouidere. Quare vt id Serenissimo suo Nepoti Carolo Iosepho impetraret, sequentes ad Pontificem rationes dedit. Primò, Expedire Teutonico Ordini, vt ex potenti & inprimis Austriacâ Domo oriundus Magister assumatur, vt & bona contra inuadentium potentiorum vim auctoritate tueatur, & locum in Imperij Comitijs inter Principes (quod est ad Sedis Apostolicæ decus) cum dignitate obtineat. Secundò, Hæc omnia hæreticorum vi eò delapsa, vt nisi potentioris auctoritate fulciantur, omnimodè sint ruitura. Tertiò, Hoc ipso tempore Hassiæ, Saxoniæque Balliuiam solâ suâ suæque familiæ auctoritate sustineri, eiusque intuitu Gemerthianã Commendam ab Hollandis recuperatam. Quartò, A Domo Austriacâ singularia esse in hunc Ordinem collata beneficia; ex quâ oriundi Maximilianus & Carolus, Magni Magistri, sedem Magistralem Mergentheimij erexerunt,

Carolum Iosephum nepotē suū, successorē sibi in Magisterium à Pontifice impetrat:

runt, binasque Dynastias, Freydenthaliam ac Eulenburgum, adiecerunt. Quintò, Non aliud hinc Serenissimæ Familiæ commodum emergere, quàm quod est Ordinis & Orthodoxæ Religionis. Annuit rationibus Pontifex.

Ideò anno M.DC.LXII. in Generali Conuentu Viennæ celebrato, post statuta ea, quæ ad florem Ordinis factura videbantur, etiam pro Serenissimo suo Nepote in successorem deligendo perorauit. Boni suæ Religionis amantes Balliui omnes, ac Prouinciales Commendatores, facilè in id consensêre, quod ipsi amabant: moxque Serenissimum Carolum Iosephum consueto ritu ac solemnitate, præsente Cæsare ac totâ Aulâ, Equitem Teutonici Ordinis creauit: nec multò pòst, Crucem Prutenicam, Magni Magisterij signum, eidem imposuit. Quia verò humana casibus obiacent, & ipse Archidux sua fata præuidebat, constitutum, vt si ante vigesimum Serenissimi Caroli Iosephi ætatis annum obiret Leopoldus, vniuersam Ordinis molem dirigerent Augustinus Oswaldus à Liechtenstain, Camerarius & Consiliarius Serenissimi Leopoldi Guilielmi, Præfectus Mergentheimiensis, & Prouincialis Commendator Balliuatus Westphaliæ; Ioannes Gasparus ab Ampringen, eiusdem Camerarius & Consiliarius, Prouincialis Commendator Austriæ, qui dein defuncto Carolo Iosepho in magnum Ordinis Magistrum subrogatus est; Edmundus Godefridus Baro de Boch[illegible]z, eiusdem Consiliarius, Camerarius Serenissimi Caroli Iosephi, & Commendator Prouincialis Iuncetanus. Denique ijs conclusis, Nepotem suum ad Generale Capitulum duxit, vt interesset adhortationi, quam stando elegantem & efficacem fecit, ad obseruationem Instituti & Decretorum à se factorum: atque ita cum affectûs contestatione Capitulum Generale dissoluit.

Pro eodem in Generali Conuentu Viennæ perorat: eidem Crucem imposuit, & Vicarios ad annum vigesimum sufficit: coram eo ipso in Generali Capitulo pro Ordinis bono dicit.

Equites omnes Nepoti suo ac Cæsari moriturus commẽdat.

ſoluit. Cùm verò iam vis morbi eum ad extrema deduxiſſet, amorem ſuum in Ordinem conteſtatus, Equites ſuos & Sereniſſimo ſuo Succeſſori, & Auguſtiſſimo Imperatori impensè commendauit, vt imminente contra Turcas bello, eorum generoſis animis vteretur, certâ ſpe, daturos id ſpecimen virtutis, quo & ſua Maieſtas ſolatium, & Eccleſia emolumentum experiatur.

PROLEGOMENON IV.

Belgium, & in eo arma Regia gubernat.

AN. M. DC. XLVII.

QVod pridem Rex Catholicus deſiderabat, vt Sereniſſimus Leopoldus ad ſeruandam in hoſtes rem Belgij publicam, eiuſdem gubernationem ſuſciperet, diu Suecorum armis oppreſſa Germania impediebat: tandem tamen hinc purgatâ Bohemiâ, inde coniectis trans Rhenum Gallis, opportunum Catholico Regi ipſiq́ue Imperatori viſum eſt tempus, quo ad ſubleuandum Belgium properaret, ſuâque animi magnitudine graſſantem hoſtium inſolentiam reprimeret. Igitur quàm pauciſſimorum aſſumpto comitatu, ad præſtolantem cum 1500. expeditis equitibus in Superioris Palatinatûs confinijs Generalem Vigiliarum Præfectum Philippum peruenit, à quo Forchenam vſque eſt deductus: hîc relictis impedimentis, ac vniuersâ ſupellectile, reliquiſq́ue laſſis, cum 50. ſelectiſſimis, duce Barone de Lanan, ita proceſſit, vt prior adeſſet vbique, quàm aduenturi fama præuolaret, nec ad Mœnum à Suecico, aut ad Criſenam ab Haſſico exercitu obſeruaretur. Spatio igitur dierum viginti & vnius Namurcum delatus, vitam animumq́ue Belgio aſpirauit.

LEOPOLDVS in Belgium curſu inobſeruato venit.

In

Excipitur omnium Ordinum lætitiâ, & gratulatione publicâ.

In occursum omnis Ordo, omnis ætas & conditio effusi; quàm laxis amplisque affectibus suum (vt aiebant) Seruatorem salutabant, tam angusta reddebat fora & compita eius spectandi desiderium. Nihil omissum eorum, quæ gestientis animi lætitia ministris Regijs & Proceribus, Belli-ducibus & militi, ciui & plebi, ad significationem plausus animorumque obsequium imperare potest. Hinc ne quâ morâ per Procerum Patriæ, & Bruxellensium studia, excipiendo Principi laborantia, detineretur, præmisso nuntio stitit operas, ne, quos militi impensos cupiebat sumptus, vanitatis fumo absumerentur: ipse verò mox secutus, declinatâ pompâ, Aulæ inuectus per hortensem semitam, ad D. Gudilæ properauit, sacram ibi Eucharistiam, miraculo nobilem (quod illi genuina Austriacis familiare pietas reddiderat) salutaturus. Mensem non ampliùs, disponendis belli negotijs hîc moratus; non tantùm omnium Ordinum animos benignitate occupauit, sed singulari etiam pietate SANCTI PRINCIPIS nomen obtinuit.

Vetitis fieri impensis ad excipiendũ se, Bruxellas quasi priuatus ingreditur.

Ven. Sacramentũ Miraculosum illicò adorat in D. Gudilæ:

benigni sanctique Principis nomen obtinet.

Armenteriã obsidet,

Primæ ergo Armenteriæ vires admotæ, vnde via ad ulteriores expeditiones aperiretur. Multa obsistebant conatibus; molle & paludosum solum, Lisa fluuius, frequentes fossæ iungendæ pontibus, assiduæ cælo cadentes pluuiæ; vt contra mœnia pugnaturo, bellum gerendum fuerit non solùm cum Gassionio castra tentante, sed etiam cum elementis. Accedebat numerosi præsidij duorum millium vis & pertinacia, quæ frequenti explosione non gregario tantùm, quem frequentiorem rapuit, sed ipsi etiam Archiduci, cuius pilei zonam glans plumbea auulsit, pericula adferebat. Sed illustrior in discriminibus virtus ad loricam exteriorem eluctata, erectis tumultuario opere machinarum suggestibus, per stratas mœnium ruinas

& superatis difficultatibus ac periculis,

nas ad assultum, promptè expugnauit gubernatorem, vt iam vrbis amittendæ certus, benignitatem magis Principis experiri eligeret, quàm fortiorum militum furori exponi. Igitur in oblatas conditiones abijt, vt præsidiarius miles victori (more à Gallis inducto) captiuus cederet, vicenis solùm primis capitibus cum supellectile suâ in Gallias dimissis, qui de vtrimque captorum permutatione tractarent. Abiêre hi nauigijs vecti, æquè fortitudinis, ac benignitatis Serenissimi Leopoldi præcones facti: Archidux verò ingressus vrbem, Deo victoriarum auspici debitas pro more suo gratias dedit, mixta gaudia secundiorum spe toto Belgio diffudit.

ad deditionem cogit.

Hinc vsus celeritate (quamuis Gassionius vlterioribus Archiducis progressibus obstiturus contraxisset maiorem exercitum) antequam exiret Flandriâ, Comminium, antiqui operis munitissimam arcem, Lendiumque recuperat, & Gallorum curas Landraci obsidione præuertit. Adest illicò Ranzauio iunctus Gassionius, & per ipsam Archiducis stationem frustrà molitus viam, frustrà spe obsessis datâ immittendi succursum; bipartitus repentè vires, vnà Bassæam ac Dixmudam aggreditur, & propugnatorum ignauiâ occupat. His nihil motus Archidux, insistit Landraco, & sexto ab hostis abscessu die, cùm spes omnis subsidij adempta esset obsessis deditione occupat. Eodem die, præmisso cum paucis copijs Beckio, Bassæam properat, recuperandi spe ductus: sed qui cum exercitu ante vrbem consistebat Gassionius, alijs consilijs ansam dedit. Ad molendinum quoddam coacti Duces, Serenissimo grandioris machinæ globo sublatæ è pileo cristæ, lapides ædificio excussi secundùm tibiam offendêre Piccolomineum, vniuersum concilium calce & puluere conspersum est; decretumque

Cominio, Lendioque receptis,

Landracũ cingit,

& capit.

tumque hostis aggressu abstinêre. Gassionius ergò Lendium rapitur, inani spe id in potestatem redigendi: nam quod hic non præuiderat, Archidux ita iter accelerauit, vt sub alterius diei ortum sufficientibus stipatus copijs, conspectui se sisteret, & hostem loco amoueret.

Adfuit eodem tempore Carolus Lotharingus, cuius copiarum accessu fortior Archidux, submisso prius Ipris (quibus insidiari videbatur Gassionius) quatuor millium subsidio, Lendijque gubernatore Bassecourtio ad constantiam monito, Dixmudam præmittit Marchionem Sfondratum, dein Marchionem Caracenam. Ille cum mille trecentis equitibus illicò pontem occupat, mediamque lunam adiacentem; iste alterâ vrbis parte aditus omnes præcludit: subsequitur Serenissimus cum exercitus mole; vt dum ad Lendium alterâ obsidione laborat Gassionius, circumuallationem perficiat. Nec res à meditato fine ablusit: Lendium quidem in potestatem hostium venit, sed multo trium millium sanguine, ipsiusque Gassionij morte, plena autem gubernatoris & Præsidiarij militis libertate. Hinc hostis Duacum & Armenteriam vertitur: vtrobique præsidij celeritate præuentus, Dixmudam appropinquat; sed nec Ranzauij hostis vicinia, nec auræ inclementiâ, nec defendentium trium millium & sexcentorum peruicaciâ fractus Archidux, vrget incepta, & obsessos ad conditiones compellit; &, quod suam decebat benignitatem, tandem in potestatem clementer accipit.

Ipris prospicit: *Dixmudã recuperat:*

Turenius consilia diuersurus Arlunum obsidebat, Leopoldi progressus per Flandriam ad se cum exercitu aliò auocaturus. Astutiam hostis, stratagemate Leopoldus elusit. Garnerium Vice-magistrum campi generalem, cùm suis carere copijs non posset, ablegat in Germaniam, quasi

legionem nouam conſcripturum; re ipsâ, vt arce Ehrenbraiſtainiâ præſidium educat, quo Moguntiæ aut Wormatiæ à Gallo inſeſſis minetur; itaque ſuccurſurus ſocijs Turrenius, Arluno diſcedat. Fecit Garnerius quod iuſſus erat; & Turenius, quod cogitatum, Arluno diſceſſit. Vnius æſtatis labor ab Archiduce feliciter exantlatus, quantum Catholico Regi probatus fuerit, quantaſque in futurum ſpes in Sereniſſimi virtute fundauerit, ipſe affectu plenis litteris expreſſit.

Turenium Arluno auocat.

An. MDC. XLVIII. *LEOPOLDI virtus etiã bellica, cauſa eſt Fœderatis Prouincijs, ſanciendæ pacis cum Rege.*

Felices hi Archiducis ſucceſſus perſuasêre Hollandis, vt cum Hiſpano pacem concluderent, quam dudum inter proſperam Gallo, & huic aduerſam fortunam ſuſpendebant. Pupugit ea res Gallos; ideoque Principe Condæo Duce, magno exercitu in Flandriam ſe effundunt, & præter opinionem ad Iprarum portas conſiſtunt. Adfuit Sereniſſimus vel hoſtem diuerſurus aut diſcuſſurus, vel vrbi numeroſiore milite ſuccurſurus: ſed mutato conſilio Cortracum vertit; quamuis Gaſſionius eam biennio antè, adiectâ arce, inſuperabilem, vt rebatur, & frenum totius Flandriæ conſtituiſſet. Dubium ea res fecit Condæum, an Ipras vrgeret, an Cortraco ſubueniret: faciliùs tamen ſe vaſtâ & non munita vrbe, quàm Archiducem Cortraco potiturum ratus, cœptis inſiſtit: inſiſtit & Leopoldus Cortraco, & tridui ſpatio vrbem vi in poteſtatem redigit. Dum ipſe foris pugnat, fideles Hiſpano ciues horis præſcriptis publicas preces, atque vbi hæ à Gallis, ſeditionis metu, prohibitæ fuêre, priuatas obierunt. Præſidiarius vrbis ad arcem veterem nouamque confugit; illâ altero ſtatim die eiecti ſunt, iſta diutius obſtitit. Eodem die vrbem ingreſſus Archidux eo gaudio fideliſſimorum ciuium exceptus eſt, quod ſentiri magis potuit quàm deſcribi. Acclamatum quaquà ad templum procedebat; inſtrata

Galli Ipras obſident: LEOPOLDVS Cortracum, & triduo expugnat; mox & caſtrũ vetus, cum totius vrbis gratulatione.

inſtrata fora & compita floribus; ramis, aulæis, picturiſque adornatæ domus; veſtiti magnificè ciues; præmiſſus, pro more patriæ, coronatarum puellarum chorus, qui iter Principis ſtipabat floribus: vinum militibus liberaliter fuſum: mulier etiam, ſiue innocente præſumptione, ſiue gaudij quadam extaſi, perruptâ multitudine, auſa equi caput, cui Sereniſſimus inſidebat, exoſculari; alia è vitro vinum propinare, quod humaniſſimus Princeps bibere non recuſauit. Mox conſilia manuſque nouæ arci applicatæ; quinto die ab vrbe captâ per ſummas difficultates penetratum in arcis foſſas eſt, eductæ aquæ, & vi occupata, non ſine eximiâ animi fortitudine ipſius Sereniſſimi, qui in ipſo aggredientium æſtu tam propinquus acceſſit periculis, vt ipſe & Gallorum in ſe vnum intentorum voces audiret, *Ille eſt Leopoldus, qui ſtrictum manu gladium vibrat, & rubram pileo plumam gerit*; & plures circum aures glandium ſibilos exciperet. Qui è præſidiario milite primum victorum furorem euaſerunt, Principis clementiam inuenerunt. Inde ciuibus reſtituta arma à Gallis ablata, quibus, quam numquam perdiderunt fidem ſe probaturos ſpoponderunt. Promotus inde Ipras exercitus, aliud non euicit, quàm vt Condæus faciliora cum obſeſſis deditionis pacta iniuerit. Mitigauit Gallorum dolorem, quem de perdito Cortraco ceperant, is obſidionis ſucceſſus; ſed quæ ſecuta eſt Pacis ab Hollandis cum Hiſpano publicatio, eos penè conſternauit. Vbi hoſtis, firmatis Ipris, Liſam traiecit, Archidux præterito Cameraco & Caſtelleto ad Landracum caſtrametatus, hoſtium molimina obſeruabat, excurſionemque in Gallias parabat: cui moras poſuit nuntium de Herlachij cum Germanorum copijs ad Condæum acceſſu. Sed morâ ad pietatem vſus, Bruxellas excurrit, ſolitam miraculis claræ Eucha-

Denique caſtrum nouum ingenti opere à Gaſſionio munitiſſimum, vi capit.

Ipra hoſti cedunt, paciſcenti indulgēter, accurrentis LEOPOLDI *metu.*

LEOPOLDVS *veneratur Bruxellæ Ven. Sacramentum Miraculoſum.*

Euchariſtiæ deuotionem ſuâ incenſurus. Quâ obitâ, eâdem quâ venerat, equorum celeritate reuerſus, exercitum ad Buccinium eſt aſſecutus. Interim Sfondratus demandatam expeditionem feliciter obijt, Dixmudam bis mille ducentis peditibus auxit; Ranzouium Oſtendæ inſidiantem, occiſis quadringentis, mille trecentis gregarijs, ac tredecim è militaris dignitatis ordine captis, profligauit, & Furnas per pacta recepit.

Stegriã & Lendiũ ſubitò capit:

Archidux ex Hannoniâ in Arteſiam procedens, Stegriam cepit, & caſtris ad Lendium locatis, id vnâ nocte ad deditionem coëgit. Condæus Princeps contracto ex præſidijs milite, auctus Germanicis copijs, ex cliuo ſpectaculum ſui facit, & vtrimque futuræ pugnæ, velitationibus ac currulium machinarum diſploſionibus præluditur. Tenuit eâ nocte ſtationem Archidux; mutauit Condæus, & relicto in cliuo Villiquerio cum paucis turmis, ſe oculis Hiſpanorum ad plana ſubmouit; cum paucis item turmis Beckius occurrit Villiquerio. At ille ſiniſtrum cornu totum auellit à corpore: hoſtem quidem profligat; ſed intempeſtiuè maioris gloriæ auidus, plures hoſtium turmas in ſe vnum prouocat; quibus cùm par non eſſet, dextrum quoque cornu Duce Buquoio accerſit, & peditem equitatu denudat. Velitatio in pugnam creuit: vbi enim viſus aciem formare Condæus, diuiditur eques in cornua, mouetur in cliuum pedes, & grauiores machinæ: ſed nondum benè formatis ordinibus miſcetur pugna, dextro Gallorum cornu in læuum Hiſpanorum inuecto, ſed generosè repulſo, ac etiam profligato. Diſperſis ſucceſſit Herlachius, & recentibus viribus laſſatos priore impetu Lotharingos fregit, & in fugam coniecit. Hinc conuerſis equis peditatus tergo imminebat; hic ſe Hiſpano coniungere properauit, vbi feliciter conſereba-

cum Condæo per velitationes agit.

Præpropero ſuorum ardore coactus, totis caſtris non ſatis ordinata is concurrit.

ferebatur, & profligati hostis machinæ iam obuersæ in ipsos detonabant. At cùm alæ dexteræ equitatus cessisset furori hostium, monetur de periculo Archidux; qui iam parabat equo desilire, & inter pedites gloriosè vincere, aut fortiter mori. Sed fidelissimi sui Comitis Schwarzenbergici superatus rationibus, quòd nec victoria ampliùs resarciri possit, nec ipse morte suâ, quantumuis gloriosâ, Regis bonum promouere, stipatus paucis lento passu recedit. Occurrit hostilis turma, cui longè impar erat Serenissimi comitatus: huic iam irruenti, & displosis cannis ferreis rem agenti, vt seruarent Principem, sua latera opposuêre fidelissimi Domino, Comes Schwarzenbergicus, Comes Isenburgicus, Princeps Chimacensis, Comes Salazar, & domestici pauci, donec Louignius cum quinquaginta equitibus præstò esset, qui ad vtrumque latus aggressi turmam detinuêre, dum Serenissimus discrimine solueretur. Pari ferè vtrimque stetit sanguine pugna; capti de Archiducis exercitu plures; Beckius, qui dein ex vulnere obijt, Princeps de Ligne, Comes S. Amoris, & alij etiam primæ notæ propugnatores strenui, quorum numerum auxerunt ij, qui Lendium confugêre; & quam euaserant in aperto captiuitatem, intra muros, captâ deinde à Gallis vrbe, incurrerunt. Ex impedimentis, præter aliquot machinas currules, in manus hostium nihil venit: reliqua enim trans riuum sita loco, ante pugnæ exordium amoueri non potuerunt. Clades ad primos rumores visa est fatalis: dimanauerat enim fama (vt solet hæc eundo crescere) ipsum Archiducem occubuisse. At vbi de vitâ constitit, animus omnibus redditus est, quod superesset is, per quem se viuere omnes existimabant. Adiectæ ergo omnium cogitationes restituendæ rei, cui quisque pro facultate suâ succurrere certauit; quâ re factum, vt trium

ideoque infeliciter;

sed pari vtrimque numero cæsorum.

Exercitum restituit, & victorem sistit.

hebdomadarum ſpatio tantus coiuerit exercitus, qui potuerit in hoſtem educi, & vlterioribus progreſſibus opponi. Vnde Condæus eâ partâ victoriâ, Furnis, paulò antè à Sfondrato occupatis, iterùm in Gallorum poteſtatem redactis, aliud nihil attentauit.

An. M. DC. XLIX.

Gallorum victoriam turbat inteſtinus Pariſini populi motus in Mazarinum.

Ingentem ea victoria Pariſijs lætitiam tulit, ſed quam in ipſo æſtu Mazarinus extinxit; qui pridem auctoritatis impatiens quâ Parlamentum valebat, hanc ipſam eius opprimendi occaſionem aucupatus, prima capita cuſtodiæ mancipauit, indignante ac fremente populo: cuius ſeditioni Regina mater cum Rege filio, Duce Aurelianenſi, Condæo Principe, ac Mazarino, noctis ſilentio ſe ſubduxêre, & Pariſijs exceſsêre. Vrbem ad obſequium compulſurus Rex circum cogebat exercitum; Mazarinus ad opprimendam Parlamenti (vt aiebat) arrogantiam, inuocabat Archiducem: Parlamentum quoque, non vt Regiam poteſtatem violaret, ſed vt Regni perturbatori (ita loquebatur) Mazarino occurreret, ab eodem Archiduce ſubſidium flagitabat. Leopoldus hos ipſos regni fluctus, ad diu quæſitam vtriuſque Coronæ pacem ſeruire poſſe arbitratur. Ingreditur Galliæ fines eâ militum diſciplinâ, quæ cùm nihil ſpiraret hoſtile, alliciebat potiùs ruſticanæ plebis promptitudinem, quàm ſui metu fugaret. Imminens periculum ſaniora ſuaſit Mazarino conſilia, ne dum conuelluntur domeſticæ vires, opprimantur externis. Conquieuêre igitur deſultorij affectus, ſeu fictâ ſeu neceſſitate expreſsâ Mazarini in Parlamentum benignitate, & in præteritorũ amniſtiam facili ſubſcriptione.

LEOPOLDVS ab vtriſque partium imploratus ad auxiliũ ſibi ferendum, ſpe conciliandæ inter Reges pacis, Galliam pacificus ingreditur. Huius metu, conueniunt inter ſe diſcordes Galli.

LEOPOLDVS Ipras recuperat.

Compoſiti Galliæ tumultus Sereniſſimum Ipras conuertêre, quas tandem trium millium præſidio inſeſſas, per ipſas rigidiores auræ iniurias, per continuam cum aquis ventiſque pugnam, ad deditionis leges compulit.

Dum

Dum vrbs cingitur, antequam ipsa caperetur, Duce Fuenſaldaña S. Venantium, oppidum ex loci ſitu, & præſidiariorum numero munitiſſimum, octidui ſpatio ad ſuum Dominum reuocatur, & miles ad quietem aliquam mittitur. Iniquo oculo aſpiciebat Gallia Sereniſſimi felicitatem. Igitur & hanc oppreſſura, & toto, vt rebatur, Belgio potitura, quidquid virorum viriumque potuit, Duce Harcourtio ad Cameracum ſtatuit. Ducitur obſidio à triginta duorum millium exercitu, trahitur lorica, diſtinguitur ſtationibus, firmatur caſtellis, præmunitur ſudibus, continuis foſſis inacceſſa redditur. Sequuntur tamquam ad theatrale ſpectaculum, Rex, Regina, & Mazarinus: ſed qui hilarius ſibi animo deſignauerant, in tragicum incidêre. Sereniſſimus in præſentem neceſſitatem ſolicitus, cùm vrbs tanta nullo præter ſolitum præſidio muniretur, expedit Wallonum equitum mille, peditum ſexcentos, vt, priuſquam circumuallationis linea omnino clauderetur, viribus omnibus ingreſſum tentarent. Sed terruit appropinquantes numeroſus hoſtis, vt eques reiectis, quos poſt ſellam geſtabat, peditibus ſibi conſuleret. Non deſtitit conſilio Archidux: expedit in eam rem Lotharingorum mille equites: at neque hi penetrare auſi, re infectâ rediêre. Igitur bis deluſus, vires omnes vrbis ſubſidio admouere ſtatuit: equitem quemque quatuor ramentorum faſcibus, peditem geminis onerat; militem, machinas, annonam ſilentibus tubis prouehit, & Scaldim inter Senetumque fluuios, non procul hoſte, caſtra locat; & vnius noctis labore hortator ipſe & actor præmunit: hinc ſeptem Germanorum equitum legiones Duce Brouckio, cum quingentis Hiſpanis peditibus expedit, vt germano inter ſe animo, per periculorum contemptum eluctentur ad gloriam. Non minùs

Harcourtius Cameracū cingit cum numeroſo exercitu.

LEOPOLDVS *obſeſſæ vrbi præſidium aliquoties tentatum immitti,*

denique secutus ipse castris plenis, immittit,

nùs promptè susceptum negotium, quàm generosè confectum. Vbi per densas tenebras vallo appropinquarunt, in stationariorum equitum turmam incidêre: ab his vicinis proditi, crediti sunt ad eum locum perrupturi, vbi circumuallatio necdum aggeribus muniebatur: igitur in eius loci defensionem coguntur vires. Brouckius amisso ductore, cum suis per tenebras vagus, rimatus vbique viam, tandem ad exitum aggerum constitit, quem pauci stationarij tuebantur. Hîc Deo auspice perrumpendum suadet Garnerius, probat Brouckius; perrumpitur feliciter, & obuij in fugam conijciuntur: geminauit illicò noctis tenebras caligo nebulæ, quæ ad protegendos sibi deuoti Archiducis milites ope Diuæ Virginis (quam ipse implorauerat, & eâ ipsâ horâ intra vrbem in Cathedrali templo frequentissimus populus inuocabat) submissa creditur, vt tuti laterent, donec crepera lux vrbis turrim aperiret, cuius indicio iter dirigerent: ad illam dum silentio tendunt, profligatis ducentis stationarijs, ad portas Cameracenses consistunt. Comes Garzes gubernator vrbis, eiusque districtus Capitaneus generalis, recreatus tam opportuno mille equitum peditumque quingentorum subsidio, ipsum quoque præsidiarium militem effundit portis, subsidiario iungit, in aciem disponit, lætitiæ signa ex arce prodit. At cùm crederet Harcourtius totas illas vires penetrasse, repentè succensis castris obsidionem dimisit, & è conspectu recessit. Archidux vrbem ingressus (quod solemne habebat) Deo & Gratiarum Matri MARIÆ, quæ ibi miraculo celebris est, à sancto, uti creditur, Lucâ picta, in Cathedrali Ecclesiâ cum vniuerso populo gratias reposuit. Et ea fuit vis populi vndequaque accurrentis, etiam per infessas ab hoste vias, vt ad vndecim millia capitum censa sint, pietatis ergò supplicantium

fauente, vt creditum, Diuâ Virgine;

& obsidionem soluit;

& Diuæ Liberatrici in vrbe gratias agit:

tium more progressa. Hinc citato itinere Valencenas abijt, vt quem aduenisse intellexerat è regno suo profugum Angliæ Regem salutaret, & calamitati solatium ferret; inde Bruxellas properauit, se solitæ Austriacorum deuotioni, Augustissimi Sacramenti supplicationi stiturus. *Valencenis Regẽ Angliæ profugũ solatur:*

Harcourtius interim hac illac fugientem fortunam secutus, vbique reperit Archiducem vel præsentiâ suis conatibus obsistentem, vel prouidentiâ: quare siue ad pompam ostentatâ, siue ad dedecoris vindictam instructâ acie visus est pugnam offerre. Sed miseri ducis est, hostis arbitrio confligere. Cùm suæ insolentiæ, prudentior Archidux, non obsequeretur, traiecto Scaldi, Bruxellas respiciebat. Sed inanes reddidit minas Archidux prouidentiâ, quâ in omnes hostium conatus assiduè intendebat. Explorarat, Harcourtium prædas & opima spolia tribus lectissimis munita legionibus, in Gallias expedisse; præuenit felici successu per Brouckium, qui profligatis Legionibus, partis octo vexillis, captis ducibus, omnem prædam eripuit. Tandem Harcourtius post exercitus plures in vnum coactos, post commotam Galliam, post Prouincias vexatas delectibus, ille suâ opinione, & totius Galliæ spe subactor fluminum, vrbium, & Prouinciarum triumphator, nullo non dicam oppido aut vrbe, sed nec castello aut pago, vel tenuibus muris præcincto, potitus, detumescente ferociâ, in penitiores Gallias se recepit. Archidux verò ob expugnatas feliciter vrbes, quibus arcem Niepensem sub anni exitum adiecit per Marchionem Sfondratum, ob seruatos ciues, ob defensas Prouincias, & commendationem à Rege Catholico tulit, & Statuum Belgij amores sibi comparauit. *Harcourtium apertè populantem insequitur, prædâ exuit, cædit, & fugat, cum Regis & populi gratulatione.*

Anno M.DC.L.

Grauiores in Galliâ motus excitati ob Principes Condæum & Contiacum fratres, ac Ducem Longeuillanum *Capiuntur Condæus & Contiacus cum Longeuillano.*

 Soro-

Sororium captiuitate mancipatos, spem iterùm sanciendæ pacis ingerebant. Qui captiuorum partibus adhærebant, pars Burdegalam ad Principem Condæum, pars Stenacum ad Longeuillanam & Turenium se contulerunt, & Regis Catholici, Serenissimique Archiducis subsidium implorarunt; & quia ex ipsis turbis elicienda pax credebatur, cum Longeuillanâ & Turenio articuli fœderis à Rege Catholico subscribendi concipiuntur.

Captiui confœderati LEOPOLDVM implorant.

Decreuerat Archidux recuperando Attrebato suas Turenijque vires admouêre, quo cogendum credebat Mazarinum ad Principes suæ libertati restituendos. Obsistebat Turenius, irrumpendum in Gallias, fouendam pro Principum libertate factionem, communis pacis negotium adurgendum. Attrebatum recipiendum vrgebant Schwarzenbergicus & Ledanus; ad maturitatem segetis differendam in Gallias expeditionem: desultorios esse Gallorum animos: turbari facilè & in vulnera ruere, æquè facilè componi & in amplexus volare; eò citiùs coalituros, quò felicior Archiduci fortuna aspiraret, ne hac omnino opprimantur: si infecundi sint Archiducis progressus, ferociam posituros, qui in fœdus venerunt; & vt rebus suis consulant, Mazarino accessuros: Hispanorum in Gallias expeditionibus, semper Gallos coaluisse animis in exitium Hispani: fœdus hoc fragili ac facilè mutabili duarum Principum mulierum auctoritate niti: militem hoc tempore, annonæ defectu periclitaturum, adeoque arduam esse ac periculosam expeditionem in Gallias, faciliorem vtiliorem que in Attrebatum, nunc propè euacuatum præsidio: fauere in hoc subsidijs & annonâ Flandros; plurimum hinc gloriæ Hispanis, plurimum emolumenti Patriæ accessurum. Sed præualuêre qui suaserunt excursionem

LEOPOLDVS, & aliqui recuperandum Attrebatũ censent; alij cum Turenio, ducendum in Gallias.

nem in Gallias. Eò itaque contendit Leopoldus: expugnat Aubantonium; dein per Delliponti, generalem Præfectum Vigiliarum, Irsonium arcem munitissimam; sed cùm morbo grauiùs premeretur, Fuensaldañæ committit exercitum, ipse Valencenas defertur. Interim per Sfondratum occupat Castelletum; Fuensaldaña verò Guisiam vrbem expugnat, sed ab Arce pertinaciùs se defendente recedit, quam absque dubio etiam tenuisset, nisi hæsisset suspensus diutiùs in quam vrbem primò obsidendam se flecteret, Capellamque à tergo reliquisset, cuius gubernatoris vigilantiâ interceptus, qui vehebatur commeatus, inediam exercitui immisit, adeò vt ab vlteriore arcis impugnatione remoueri debuerit.

Leopoldus ager, committit exercitum Fuensaldaña:

Interuenit restitutus valetudini Archidux, remque ipsam restituit, expugnatâ non integro duarum septimanarum spatio Capellâ, æquè ab arte & naturâ, ac præsidij robore munitâ. Obstupuit virtutem Serenissimi, incredibilemque animi magnitudinem Turenius, qui eum quot diebus vidit circumuallationes, accessus, vniuersaque opera, inter manifesta vitæ discrimina, inter machinarum hostilium boatus circumeuntem, hortantem, accendentemque operas, & quandoque etiam vi allisi in terram globi eiectâ terrâ pænè sepultum.

sibi restitutus, Capellam expugnat.

Nouum & inauditum amicitiæ exemplum, quod hæc spectauit obsidio, memoratu dignissimum est, quia omnem superat vetustatem. Amabat Ioannes Laurentius Franciscum de Solis, Franciscus Ioannem, vterque Hispanus. Occubuit hostili globo Laurentius: perquiritur inter cadauera à Francisco; repetitur inanime corpus, ruit in amplexus reperti Franciscus; & dum stringit, dolore exstinguitur. Visa est Serenissimo res ea immortalitate digna, quam ideò publico in principe Auesnensi templo, suo-

Memorabile amicitia exemplum inter duos Hispanos.

ſuoque ipſius nomine, ſiue ad virtutis commendationem, ſiue ad exempli fidem, conſtructo monumento, hoc etiam à ſe conſcripto Chronographico honorauit:

LaVrentIVs et franCIsCVs.
hIC IaCent.
VterqVe natIone hIspanVs,
beLLator fortIs VterqVe.
ILLe
In CapeLLæ fossa gLobo perIIt:
aLter
aDstans, et soCIo fVnVs parans,
præ trIstItIa sVbIto eXpIraVIt
tertIa AVgVstI.

Captis ex itinere vrbibus aliquot, in Galliam penetrat,

Promoto inde exercitu, Verbinium, Marla, Mons Corneti, Caſtrum Porcianum, &, Axonâ tranſmiſſo, Nouum caſtellum, Commercy, Pequium, aliæque arces non magno labore in manus venêre. Maioris Rhetelia conſtitit, ſed ceſſit virtuti. Turenius profligatis octo Hocquincourtij legionibus, Fimis, ad confluentias Veſlæ & Marnæ, potitus, poſt occiſos ducentos, totidem Sereniſſimo captiuos, Ducem vnum, duos Locum-tenentes, octo vexilla ſtitit: hinc excurſiones Pariſios vſque imperatæ, vt in apertum prodirent, quæ fortè metu reprimebantur, in captiuos Principes ſeu nobilium ſeu populi ſtudia. Metus Pariſijs incuſſus copias, vnde licuit, aduocauit: at qui in partes abiret Principum, & vel Turênio vel Archiduci apertè accederet, nemo fuit; & ſpes à Turenio data in fumum abire viſa. Placuit ergo Gallorum animos oblatione pacis tentare: ſed res ad ſubtilitates ab Aurelianenſi vocata, ad protelationem ſpectabat, non ad commune populi & orbis deſiderium. Quare ad arma reuerſus Archidux, Muſonium, olim à Carolo V. irrito euentu

nullo fœderatorum accurſu.

Pacem publicam tentat, ſed fruſtrà:

Muſonium occupat.

euentu tentatum, per Marchionem de Molingien obsidere cœpit; cùm verò obsessi fortiter resisterent, oppugnantesque defatigati diminuerentur, maiores copias submisit, nominatim selectissimam Germanorum legionem, ex ijs quos Cæsar exauctorauerat collectam, quam Wolfgangus de Bournouuille Vicecomes de Berlin ducebat; ac tandem superatis omnibus molestijs, vrbem Regi Catholico acquirit. Milites quietem promeritos, cum equitatu Germanico suo ære conscripto, Lotharingicisque copijs sub Duce Ligneuillæo, Turenio ac Gamarræ tradit, apud hostes hibernaturos. Interuenit consilijs Mazarinus, qui Burdegalensi re compositâ, Duce Plessipralino Rheteliam cinxerat, & occuparat, euentum ignorante Turenio: hunc ergo accedentem victor Gallus aggreditur, & profligat, cæso in pugnâ Palatini Electoris fratre minore, Ligneuillæo grauiter læso, capto Gamarrâ Marescallo campi, Monroy Vigiliarum præfecto generali, Vicecomite de Berlin, cum plerisque peditum Tribunis.

Rhetelia recipitur à Gallis, & nostri sub duce Turenio cæduntur.

Annus sequens consilijs constituendæ pacis grauidus, nec ad partum peruenit, nec magnos admodum belli progressus fecit. Mazarinus nouis Parlamenti motibus caput subducere coactus, Brielium ad Archiepiscopi Coloniensis arcem recessit. Liberati captiuitate Principes magno Parisiensium plausu sunt excepti. Spes pacis hinc denuò affulgebat: sed pacata in se Gallia, alijs facessit negotia. Recedit ab Hispanicis partibus Longeuillana & Turenius. Hic nouo & potenti, qui conuocabatur, Gallorum exercitui cum suis copijs accedit, & varijs Belgij vrbibus minax in varia traxit Archiducis curas: prouidit tamen, vt minæ in vanum caderent. Quoquò volabat hostis, præsentem habuit Serenissimum suis moliminibus obsistentem. Hac industriâ seruatæ vrbes, Insulæ,

Anno M.DC.LI. Mazarino se subducente, Principes emancipantur.

Redux ad Gallos Turenius in LEOPOLDVM ducit.

Menenæ, Warnetonum, aliaque loca, & flumina, prout varij motus hostium exigebant, eluso in trimestre spatium impetu hostium, imò & cæso ad legiones quinque à Gamarrâ iam redempto. Vt maiori progressui in annum sequentem viam sternat, per Sfondratum Furnas, & S. Winoci-Bergas, & Lincam, Gallis ereptas, Hispano asserit. In Hannoniam peruaserat hostis; sed & hîc Archiducis vigilantia prospexit, vt nec vllo oppido nec Castello potitus, migrare cogeretur.

LEOPOLDVS recuperatis aliquot vrbibus, vbique Tureny conatus frangit ac fugat. Causa Cõdei secedentis in Aquitaniam.

Mazarino absente turbata iterùm Gallia, & Condæus apud interceptum Vndedeum, secretarium Cardinalis, ex secretis huius litteris ad Reginam Galliæ (quamuis arcanus esset character) intellexit, *Mazarinum populi furori vsque ad Regis inaugurationem consultò cedere voluisse: rediturum, cùm Rex imperium assumpserit, & tum regiá fultum gratiá & auctoritate, meditata sua efficaciùs executioni daturum: cum Primarijs quibusdam agendum seueriùs; alios blandimentis attrahendos; alios per suarum neptium matrimonia obligandos: alios pollicitationibus implicandos: alios varijs artibus erigendos, alios deprimendos esse.* Igitur horum conscius Condæus in Aquitaniam recedit: deuincit sibi Burdegalensium animos, conscribit copias, & multorum sequacium fauores occupat; vt iam bellum moliri nemo dubitaret. Studet Rex placando Condæo, sed incassùm. Ideò condemnat, arma expedit, Mazarinum aduocat, obsistente Parlamento, & decreti vigorem vrgente: ita intestinis scissionibus Regnum iterùm diuidebatur.

Annus M DC.LII. *Ex Belgio mittuntur copiæ auxiliares in Galliam.*

Sub initium anni 1652. venit in Belgium à Condæo missus Dux Nemursius, suppetias stabiliendis rebus Principis Condæi Confœderatorumque petiturus. Designatur exercitus potissimùm ex Germanicis copijs, qui ad Cameracum collectus est. Ne autem eius in Gallias ingressio

greſſio impediretur; miſſus Princeps de Ligne cum copijs verſus Arteſiam, vt hoſti ſuſpicionem moueret, ac tranſito fluuio Authio ad Auxium Caſtellum, aliquam Picardiæ vaſtitatem intulit; effectumque vt petitæ auxiliares copiæ ſub Barone de Clinchamp feliciter penetrarent, & ſuperato Sequanâ fluuio, in ipſa Galliæ viſcera ad Liſerim vſque ſigna Hiſpanica intulerint. Condæus hoc audito, Burdegalâ ingenti terrarum tractu, per innumera pericula, & Turenij exercitum, cum octo ſolùm ſocijs penetrauit. Eius aduentu animi noſtris creuêre, ipſeque mox Hocquincourtium feliciter profligauit. Ductor auxiliarium copiarum Baro de Clinchamp ad vrbem Stampenſem cum ſuis reſtitit, ita ſecurus, vt Annam Mariam, primogenitam filiam Aurelianenſis, ludicro ſuorum ſpectaculo recrearit. Vſus occaſione Turenius, qui premebat veſtigia, feſtinantiùs irruit, nec ſatis paratos ad ſeria, compulit in vrbem cum clade aliquâ, cinxitque compulſos. Condæus vt ſocios liberaret intentus, ſuppetias ab Archiduce petijt. Miſſus in hunc finem cum ſex millibus Carolus Dux Lotharingus, qui vt erat pro arte ſuâ & virtute militari, eorum quæ feriò volebat effector ſtrenuus, Pariſios verſus perrexit, illiſque terrorem intulit. Verùm Caroli Regis, Angliâ profugi, qui Reginæ matris ſuæ poſtulata auiæ deferebat, alloquio delinitus, in Belgium regreſſus eſt, poſtquam, quod ſtipulatus erat, auxiliaribus Stampenſi vrbe coërcitis à Turenio, exeundi datus eſſet campus liber: & credidit (qui ſi voluiſſet, plura poterat) feciſſe ſe Archiducis imperio ſatis, ſi id, ad quod miſſus erat, præſtitiſſet. Sæpè mandantis iuſſa interpretatur rigidè virtus bellica, ſæpè laxiùs explicat; vtrobique laudanda, ſed ſibi cautior cùm limitibus ſibi præſcriptis ſe clauſam tenet. Interim vidêre Galli (quod

Condæus Burdegalâ aduolat:

Hocquincourtium profligat.

Auxiliares LEOPOLDI copiæ à Turenio clauduntur vrbe Stampenſi:

liberātur per Ducem Lotharingum ab Archiduce ſubmiſſum.

editis ex hoc scriptis vulgatum est ab eis, & sequentes historiæ non silebunt) hostem in suburbio S. Antonij in se pugnantem strenuè, & explicatis signis Hispanicis se versantem liberè Parisinâ passim vrbe, tamquam domitâ. Cui triumpho addidere colorem sui Regis Austriacum illi, qui dedêre sanguinem Belgæ heroes, inter quos memorandus inprimis Comes Carolus de Bossu Tribunus equitum, sortitus in hostili campo, imò vrbe Regiâ cæsus, monumentum gloriæ sempiternum.

Pugnatur in suburbio S. Antonij, explicatis signis Hispanicis totâ vrbe Parisinâ.

Dum hæc in Galliâ disponuntur & aguntur, in omnem occasionem intentus Archidux, rebus per hiemem ad arma verna accuratè paratis, Grauelingam vndecimâ Aprilis cingit, eâ accurrentium militum celeritate, vt hostes exercitum vix venisse crederent, à quo se circumdari experiebantur. Et hîc mixtus periculis vrgebat operas, maiore pro tam charo capite Ducum solicitudine, quam suâ. Tentauere Galli sexcenti succursum: sed qui mortem aut captiuitatem euaderent, fuere paucissimi. Penetrarunt tamen alij secundo tentamine, qui Mardicâ assumpti, eam visi sunt Hispanis relinquere. Expugnantur primo impulsu exteriora propugnacula: munimentum S. Philippi, portûs frenum, occupatur non sine mutuis cædibus: at quod Serenissimo Archiduci ac militi dolori fuit, Marchio Sfondratus, dum rem virtuti suæ parem vrget, machinæ grandioris globo sauciatur, & post dies paucos, vir bello strenuus, consilio acer, expeditione celer, euentu felix, qui multa præclara, auspicijs Regijs, ductu mandatoque Archiducis, in Belgio gessit belli facinora, vitâ functus, viuam sui memoriam, æternamque laudem superstitem reliquit. Occupata deinde inferior ciuitas campum fecit impugnandæ primariæ, quæ demum septimo pôst die ad deditionis leges coacta, dimissis

LEOPOLDVS Grauelingam cingit.

Marchionis Sfondrati mors, & laus.

missis octingentis Gallis, excepit Archiducem, qui Deo victoriarum arbitro grates reposuit, & militis laborem recreauit quiete. In diuersa tunc tracta deliberatio, in Gallicâ expeditione conquieuit; ad desiderium enim Condæi, vt pactis confœderationis cum Rege Catholico fieret satis, missus Fuensaldaña, primùm ad Æsiam fluuium Ducem del Boeuf cum non exiguo peditum equitumque numero profligauit, oppidum Chaunij, ad quod confugerant, accepit, captiuosque duxit; ducem tamen, & cum hoc gubernatorem Faræ laudabili humanitate liberos dimisit. Bellomontium deinde, aliaque oppida suæ potestati subiecit. Diuisus hic exercitus: Dux Lotharingiæ Carolus cum quatuor millibus suorum, adiunctis Wirtenbergico, Comite de Hennin, Marchione Dyenes, cum quatuor item millibus quà peditum quà equitum, in Confœderatorum auxilium expeditionem suscepit: Fuensaldaña reliquos in Belgium reduxit.

Ad deditionem cogitur Grauelinga.

Iterùm in Galliam mittit exercitum ductore Fuensaldaña:

pars Parisios vsque penetrat, pars redit in Belgiũ.

Restitit in Campaniâ Dux Carolus cum suis: accelerationem vrgebat Condæus nuntijs ad illum missis; Galli etiam legationibus & promissis ne faceret exorabant. Perrexit tamen denique Parisios versus, traiecto Marnâ, nequidquam prohibente Turenio, qui euntem comitabatur ex latere, expugnandus etiam à Carolo, nisi sua castra cautè præmunisset, quæ mox silente nocte, vsus stratagemate, deseruit, & euasit. Saluo hoc, refrixere in Confœderatos animi Gallorum. Condæus ergo copias omnes retraxit in Belgium; quò vt securiùs perueniret, ab Archiduce cum exercitu missus obuiàm Fuensaldaña Musonium versus, Baumontium cœpit; Condæo, submissâ annonâ, animos fecit non solùm remetiendæ viæ, sed etiam Fani sanctæ Mænechildis ad Axonam ex itinere capiendi. Hic parte copiarum in vrbem captam,

Stenacum & Rheteliam, perque Luceburgensem agrum distributâ, cum reliquâ Fuensaldaña in Belgium rediit.

LEOPOLDVS *Dunkercam obsidet:*

Statuerat Archidux ab expeditione Gallicâ retentum apud se militem Dunkercæ applicare, vt tota tandem Flandria suo Domino assereretur; sed opus tunc vrsit calidiùs, cum Fuensaldañæ copiæ nuper in Galliam destinatæ, Duce suo valetudinis causâ Valencenas abeunte, rediêre; ægri Ducis vices strenuè gessit Princeps Lignæus, recuperatæ vrbis secundùm Leopoldum pars magna. Et arma atque consilia prouexit felicitas; nam seruatus quidem innocuus Archidux inter cadentium ad suum latus funera, etiam Ephebi signiferi sui Benauides: Gubernator verò vrbis primis oppugnationis diebus sclopeti glande læsus; Vicarius Regis mortuus, Magister vigiliarum morbo oppressus: accessit (vt ex natatore transfugâ intellectum est) militis consternatio, qui iam exterioris valli propugnationem detrectabat. Auctus hinc animus Hispanis, vnde Gallis cadebat: dumque illi auidi gloriæ, nec periculorum timidi oppugnantium virtute opus arduum impellunt, classicum, pactorum signum, tribus partibus audiunt. Admissa postulata; etiam id inauditâ Principis benignitate concessum, vt vis in sextum diem suspendatur: si intereà non adsit subsidium, excedant Galli. Spes obsessos alebat, qui non ignorabant, classem non procul abesse viginti duarum nauium, militibus ceteroque belli apparatu instructam. Huic ergò parti potissima Archiducis studia applicata, quæ Ordines Flandriæ, vti ad Grauelingam nuper, ita nunc ad Dunkercam impensis ingentibus aluêre. Educta classis in mare, quæ vrbis portum premebat in Gallorum occursum; tormenta, maiorque miles, admota littori, quà ingressus hostis arceri potuit: promissis Blaeckius Anglorum Archita-

de deditione paciscitur cum obsessis in sextum à pacto diem;

interim suppetijs auertendis intentus,

chitalaſſus ad iniijciendam Gallis moram inductus: qui hoc non contentus officio, mediæ noctis tenebris acri certamine Gallorum claſſem detinuit, merſit, diſſipauit. Hinc adempta obſeſſis ſpes: vrbem igitur victori cedunt. *vrbe potitur ad dictum diem.*

Diffuſum totâ Flandriâ gaudium miros Leopoldo plauſus excitauit, omnibus hunc LIBERATOREM ſuum acclamantibus; qui duodecim munitiſſimis vrbibus Gallos eieciſſet, vniuerſam Flandriam, quà terrâ, quà mari, priſtinæ fortunæ ac libertati reſtituiſſet. Quam gratulationem totius Prouinciæ publicam, S. P. Q. Gandenſis auxit, quando Arcum triumphalem ſexpedali Laminæ æreæ eleganter inciſum, vulgatumque typis LEOPOLDO FLANDRIÆ VINDICI dedicauit. Vlteriora huius anni molimina præciderunt frequentes morbi, quos æquè miles ac Duces, ipſeque Archidux cum totâ Aulâ, ex aëris ad Dunkercam inclementiâ, contraxerunt. *LEOPOLDVS vindex Flandriæ conclamatur ab omnibus, præcipuè S.P.Q.G.*

Condæus, qui iam ſe Catholici Regis partium apertè declarauerat, hoc anno Belgium ingreſſus, ab Archiduce aulâ Bruxellenſi exceptus eſt, & ingens vtrimque ex mutuâ conſideratione nata eſt virtutum æſtimatio. Magnum enim animum facilè paris alterius commercia in amorem rapiunt, ſi ambitio non dominetur in alterutro. *Annus M.DC.LIII. Condæum Aulâ Bruxellenſi excipit.*

Sed cùm Belgij anguſtiæ copijs Condæanis ac Lotharingicis eſſent impares; earumque Capita, ignaro Archiduce, Philippopoli concluſiſſent, ſuis in Imperio hiberna quærere, habuit quod ageret Leopoldus, ne Cæſaris indignationem, vicinorumque Principum, imò & Statuum Generalium Prouinciarum Vnitarum prouocarent; maximè cum per Eburonum Menapiorumque fines graſſarentur milites, regionemque Interamnis Codruſique diriperent. Quamprimùm itaque aura fauere viſa, copijs regijs ſub Fuenſaldaña iunctæ Condæi Lotharingique, Galliam *Huius & Lotharingi copias in ſociorum finibus hibernare nõ probat, eas in Galliam educi iubet.*

ingreſſæ

ingressæ sunt, vt Burdegalensibus animos adderent, Nobilitatemque pro Principibus stantem, in resolutione suâ stabilirent.

Vbi verò auditum est, Burdegalenses sui Regis gratiæ restitutos, reditus in Belgium parabatur; quem dum Turenius impedire conatur, ad conflictum ineundum coactus fuisset, nisi ad tutiora se recepisset munissetque. Reuertentibus suis, vtcumque restitutus sibi Archidux occurrit; & quia Musonium iam cinxerat Turenius, Rocroiam aggredi statuit. Arduum opus fecere intestina Lotharingi ac Condæi cum Fuensaldaña dissidia, ac mutui colloquij declinatio; Lotharingi cum suis clandestinus ex medio operis feruore abscessus, ac propè nudatæ stationes; auxiliaris militis Bruxellas vsque excurrentis licentia; adhæc aëris ac ventorum inclementia, assiduis pluuijs molle solum, & in paludes dehiscens; accessus aquis repleti; miles genuum tenus eisdem immersus; hostium clausorum pertinacia; Musonij à Gallis recuperatio: quæ singula frangendæ exercitus fortitudini suffecissent, nisi omnium socius incommodorum Archidux suâ virtute omnium animos incendisset. Iam patebant prostrata mœnia, sed non cadebant defendentium animi, donec tandem reparandæ ruinæ adempta spes constantiam fregit, & vrbs victori Archiduci est consignata.

LEOPOLDVS à morbo restitutus, suas & sociorũ copias omnes admouet Rocroiæ: magnas ab elemẽtis, & sensu nõ conspirãte sociorum, difficultates subit: superatis omnibus, vrbe potitur.

Excelso animo, ac præsertim benè merito, non potest non arduum esse, seu cadere, seu minui imperio: nulla enim acerbior est iactura, quàm dignitatis. Condæo exercitus Gallici sæpiùs & pænè à puero ductori, videbatur nouum alieno ductu regi: imperium suum nec minùs sibi etiam à puero suetum, alteri vel cedere, vel commune facere: magis etiam nouum videri iure poterat Leopoldo; tamen quo conspirantibus animis atque armis rem

rem Regis publicam vterque gererent; quæ fuit vix audita vnquam huius prudentia & animi moderatio in fortunâ primâ, posthabitâ suæ celsitudinis æstimatione, & summâ quam habebat gubernandi Belgij potestate, in vnum Regis sui Prouinciarumque sibi commissarum bonum intentus Leopoldus, ad tesseram militibus dandam, non alterius quàm Regis nomine Comitem Fuensaldañam nominauit; & quam hic dederat, tam Leopoldus ipse, quàm Condæus, tamquam Regiam agnouere; quod deinceps & ad rerum feliciores progressus conduxit, & à Rege mirificè est collaudatum.

In chari sibi Ministri auocationem, licet ægrè, consentit.

Sed profundiore vulnere tetigit animum occulta machina, quâ sub nomine Ministri vnicè sibi chari seipsum impeti aduertebat: ea ab æmulis eousque promota est, vt fidissimus, quem habebat, supremus Camerarius voluntate Regis esset à Belgio auocandus. Non ita grauabat Principem eius auulsio, atque, vt videbatur, iniuria; quam ita apertam Leopoldus reddidit, vt qui auctor fuit, errorem sit fassus. Ipse autem qui auellendus erat, cùm impenetrabile scutum ei esset conscientia delicto immunis, nec fidem perdidit, nec reuerentiam; sed dubitantem Serenissimum, vt sibi Regiæ parêre voluntati liceret, obtestatus est. Ergo Ratisbonam delatus, Archiducis officia deposuit Cæsari, Coronamque Imperij Ferdinando IV. impositam gratulatus, arcani Consiliarij munere, quo iam pridem fuerat honestatus, fungi cœpit.

Annus M DC.LIV. *Motus à copijs Lotharingicis in agro Leodiensi excitati.*

Subsequente anno noui propè belli erupit incendium. Vi occupauerat Carolus Dux Lotharingiæ hiberna in agro Leodiensi: auctoritatem Cæsaream, vnà & Gallorum auxilium implorauit Leodiensis Princeps. Adfuêre Gallorum duodecim millia, prompta ad circumferendam belli facem. Frigidam affundendam ratus Imperator, misso ad

Archiducem Richardo Comite Stathenbergico, de componendis turbis agi iussit. Apprehendit consilium Leodiensis, maiorũ malorum prouidus, si Galli in visceribus hærerent. Pace igitur stabilitâ, Lotharingicæ copiæ in districtu Insulensi hibernarunt. Archidux verò, & Leodiensium Princeps in Aspero Colle, mutuo affatu, & publico bono, & animis fecêre satis. Sed cõcitati hîc belli tam periculosi motus, vni Carolo Duci Lotharingiæ cessit pessimè; nam Regis de eo capiendo imperium maturauit. Itaque ex Aulâ Bruxellensi in Antuerpiensem arcem captiuus ducitur, nihil suffragante aut militum suorum, aut populi fauore. Eius exercitus, spe Nicolai Francisci Lotharingiæ Ducis, qui Viennâ accersebatur, propediem adfuturi, & pecuniâ, potente animorum conciliatrice, in obsequijs Regijs est detentus. Adfuit interim Nicolaus Franciscus, & Lotharingici exercitus imperium accepit.

compo-nuntur.

Carolus Dux Lotharingiæ capitur.

Cinxerat Stenacum Turenius: inde auocandus potiùs iudicabatur, quàm cogendus vi: & est tractus ille terræ ineptus alendo militi nostro. Flandria vrgebat recuperationem Basseæ; & Archidux credebat, se hanc & Bethuniam citiùs occupaturum, quàm Turenius Stenacũ. Censebat Condæus eam expeditionem non satis efficacem ad auocandum Stenaco hostem, proposuitque obsidionem S. Quintini, aut alterius vrbis in Galliâ. Coëgit defectus nerui bellici & annonæ, quæ Belgæ extra suos terminos, eósque tuendos, ceterà prompti, non proni sufficiunt, vt cogitaretur de Atrebato, maximè cùm præsidium diceretur exiguum. Resoluitur dicta obsidio; ducuntur eædem lineæ circumuallationis, quas anno M.DC.XL. duxerat Castillonius, dum vrbem intercepit duplo maiori numero, quàm essent copiæ Leopoldi. Hic idcircò minore cingendum ambitu iudicabat: sed eminentiora circum loca, includi

Atrebatũ cingitur faustis initijs à LEOPOLDO.

includi debebant, & opus erat festinatione. Tentatus sub initium à Gallo succursus est; sed in obsidentium manus venit cum ductore Locum-tenente Regio obsessæ vrbis: iterùm perrumpere volentibus restitit Alexander de Bournouuille, Comes de Hennin; sed aliâ viâ perrupit Marchio de Crequy cum trecentis equitibus, & aliquot peditibus. Eruptiones aliquoties obsessis malè cessere ad gloriam oppugnantium, cùm gregariorum, tum præcipuorum; inter quos fortes se exhibuere Duces Arenbergicus & Wirtenbergicus, quorũ equi telis hostium sub sessoribus cecidêre.

Dum res vtrimque aguntur strenuè, adest Turenius obsidionem soluturus. Cum hoste ergo vtrimque agendum fuit: hinc Leopoldo etiam noctu negata quies, aut modica indulta, vel ad tormenti basim, vel super instrato pallio capta: nullæ non exteriùs admotæ machinæ, nullis non intra circumuallationis lineam obuiatum: & dum foris arcetur hostis, simul propiùs acceditur vrbi: sed tandem destituêre vires lassos, & non sine clade abacti sunt vrbe; fortitudinis tamen laudem non amiserunt. Coacti subitò qui dispersi fuerant milites, obstitêre aperto campo ac velitationum frequentiâ Turenij conatibus, qui Hannoniam sibi vectigalem reddere laborabat. Ne post laxatum obsidione Atrebatum nihil egisse videretur Turenius, Quercetum aggressus obtinuit, & militi quietem dedit. Serenissimus quoque, suadentibus iam hiemis confinijs, suos ad hiberna dimisit.

à Turenio liberatur.

& Quercetum capitur.

Interim Christinam Reginam Sueciæ, quæ inaudito exemplo, Fidei amore, Regnum dimiserat, Antuerpiæ salutat: Bruxellis Aulam magnificentissimè instruit; regio apparatu venientem excipit; Fidem occultè profitenti adest; & quamdiu istic morata est, Regis nomine officijs omnibus est prosecutus.

LEOPOLDVS Reginam Sueciæ salutat Antuerpiæ, & Aulâ Bruxellensi excipit.

 Sequens

Annus M.DC.LV. Gallorum apparatus ingens in bellum:

Sequens æstas magis impensa est seruandis partis, quàm nouis parandis. Vires instaurant Galli; Turenio quindecim, Seneterrio Fertæo duodecim, Fabercio quinque millia capitum consignantur: legiones custodiæ Regiæ, tum equestres tum pedestres, Regem ipsum ac Mazarinum plenos victoriarum designationibus comitantur. Archidux in omnem partem intentus, nunc Tornacum, nunc Valencenas conuolat, ac demum viginti virorum millia ad Buccinium conuocat. Galli Somonâ Sabique superatis, Landracum obsident. Non deerant obsessis spiritus, donec elapso mense, cum ingente mœnium ruinâ simul animus Gubernatori cecidit, & educto cum maioribus tormentis armato præsidio, Gallos immisit. Gubernator, qui minùs strenuè locum propugnasse arguebatur, quæstioni militari subiectus & absolutus est. Cappellam Turenius aggrediebatur; sed nè ab Archiduce iam Malbodij cum toto exercitu agente opprimeretur, inchoatis decedit, & Chambresium tentat conatu irrito; nam à Francisco Pardo retunditur. Namurcum sex Gallorum chiliades tendere videbantur traiecto Sabi: ab Archiduce per Marchionem Dyenes, non procul Thuinio cæduntur, profligantur, omni castrensi supellectile exuuntur: Bouingam tamen occupant; sed sequentium Hispanorum metu, non diu fruiti, locum deserunt. Buccinio incumbunt: virtute Condæi & Ligniensis Principis, profligatis duabus chiliadibus amouentur. Ita dum per multa rapitur hostis, vbique præsentem reperit Archiducis attentionem. Vt viam sibi Valencenas sternat, Condatum oppidum, & sancti Gisleni fanum occupat. Illud quia cum satisfactione defenderat Bournouuillæus, Comes de Hennin, Archidux eum Valencenas mittit, vt vrbem muniat, seque informet de necessarijs ad sustinendam obsidio-

Landracũ obsident, & capiunt.

Vlteriores conatus LEOPOLDVS *aut sistit, aut frangit:*

dio-

dionem: quâ prouidentiâ factum, vt iam regresso in Germaniam Leopoldo, sequenti anno & Gubernator laudabiliter vrbem defendere, & Serenissimus Ioannes Austriacus obsidionem gloriosè soluere potuerit. Igitur auidi celerioris fortunæ venatores, cùm quam quærebant, non reperirent, Bruxellensibus metum inijciunt, quem præsens illicò tollit Leopoldus.

Atque hic fuit vniuersus labor totius pænè Galliæ in Belgium effusæ, solidæ ætatis impendio Landracum, Condatum, & S. Gisleni fanum potestati subiectum; cæterùm inani labore quæsita fortuna, quamuis sibi Prouincias integras animo designauissent. Cùm verò sparsus per præsidia miles Archiducis vires eneruasset, impensis Brabantiæ ac Flandriæ Statuum (quorum amores tenebat) armantur virorum duodecim millia, vnaque Regis nomine decimus quisque ad Patriæ defensionem euocatur; isque breui tempore coit exercitus, qui grandioribus hostium moliminibus impediendis suffecerit. Deliberabatur de recuperando Condato: suadebant id multa; plura dissuadebant: cruda iam anni tempestas, numerosum præsidium, annonæ copia, parabilis ab hoste inundatio, auidus quietis exercitus: ingens tamen Patriæ vtilitas, quæ ex eius loci recuperatione emersura videbatur, vna suffecit, vt ad tentandum decerneret. Sed consilia optima rupit Lotharingorum inconstantia. Nam Arincourtius cum sex legionibus ad Gallos transfuga, reliquos eodem malo afflasse videbatur. Monet Ducem Nicolaum Franciscum Archidux, vt militi seruando studeret, militare in Regem Catholicum fidelitatis sacramentum exigeret: probare videbatur omnia Dux Nicolaus Franciscus. Venit interim nuntium, restituendum libertati Ducem Carolum fratrem; quid de Lotharingico milite agendum,

Exercitum suum auget Prouinciarum impensâ, & euocatione decimi cuiusque:

Condati obsidionem decernit;

sed Lotharingorum transfugia exarmatur.

non claré indicabatur. Exigitur à Nicolao fides, dum de concessæ libertatis articulis constet. Assentiri visus est Nicolaus: præstat coram Archiduce, miles coram Ducibus & Tribunis fidem in duos menses; sed post biduum rumpit; militum tria millia peditum, centurias quindecim ad partes Gallicas traducit. Quam rem quo animo Archidux, quo sensu acceperit Rex Catholicus, qui cùm pacto Lotharingicas copias Regijs inserendi, libertati Carolum restituere decreuerat, facilius est cogitare, quàm hîc pluribus describere.

Anno M.DC.LVI. Atqui nihil non agebat Serenissimus Archidux, vt fortunam Belgij stabiliret; nihil quoque omittebat, quo se tandem politicâ ac militari gubernatione liberaret. Sentiebat enim se interno quodam monitore vrgeri assiduè, vt quam Prouinciam in triennium primùm susceperat, in nouennium produxerat, nequidquam sæpiùs missionem precatus à Rege, tandem suis humeris amoliretur, seque Austriæ, ac gubernandis Episcopatibus restitueret. Quare, vt Regis animum (qui vniuersam Belgij felicitatem in suo Leopoldo sitam esse existimabat) faciliùs expugnaret, auctoritatem Ferdinandi Cæsaris implorauit; vt quod ipse ab amante Catholico Rege impetrare hactenus non potuisset, tanti mediatoris conspiratione obtineret. Igitur admotæ vtrimque preces ac rationes tantùm valuêre apud Regem, vt ipse, inuitus licet, veniam concesserit, amplissimis repositis gratijs pro tot susceptis laboribus, exantlatis periculis, reuocatâ in Belgium felicitate, adiectaque æterni amoris contestatione.

Missionem à Rege vrget, & ægrè licet, impetrat:

Hoc nuntium ita accepit Leopoldus, vt quantum ad suas Ecclesias aspirabat, tantum quoque operæ ad præludendum futurorum castrorum successibus impenderet. Ergo media primùm stabilit, quibus contracta æris alieni nomina

Belgij res & arma ordinat in vsum successoris:

mina expungantur: tum verò quæ Succeſſor Sereniſſimus Ioannes Auſtriacus ad ſui nominis gloriam, ad fortunatos bellorum euentus optare poterat, vigorem exercitus, munitionis & annonæ copiam inſtruit; quibus iſte memorabilem illam ad Valencenas de Gallis victoriam reportauit. Rebus ita compoſitis, ex condicto ad Aſperum Collem Sereniſſimo Ioanni Auſtriaco, Proceribus ac belli Ducibus ſtipatus occurrit: exhibitis humanitatis officijs, de Belgij ſtatu, de gubernatione Prouinciarum, de belli viribus informat: affectus mutui plures dies popoſciſſent, quos in paucorum moram contraxit neceſſitas. Vbi ſupremùm Duces ſuos valere iuſſit, nemo fuit qui lacrymis temperaret; adeò diuellebantur ægrè ab eo, cui ſe filiorum affectu coniunctos ſentiebant. Hinc ergo iter in Germaniam ſuſceptum: & Leopoldus quaquà per Imperium gradiebatur, populorum plauſu, Principum & Electorum affectu exceptus, ſibi dilecto primùm Paſſauio, deinde Viennæ, ac Ferdinandi Cæſaris amplexibus eſt reſtitutus.

Ioanni Auſtriaco occurrit, & imperio decedit ad Collem Aſperum:

inde abit in Germaniam cum Belgarum etiam Procerũ luctu publico; & quà gradiebatur, plauſu Principum Germanorum.

Et patuit demum, interiorem illum ſtimulum, quo ſe ex Belgio in Auſtriam vrgeri ſentiebat, fuiſſe Diuinæ Prouidentiæ argumentum, quæ voluit Leopoldum non ſolùm morituri Fratris adeſſe funeri, ſed etiam Leopoldo Ignatio relicto pupillo aſſiſtere.

Neque deeſſe poterat Leopoldo illa, quam dico, Prouidentia, qui conſiliorum ac decretorum ſuorum præfixum ſibi arbitrum habebat ſemper, non impetum animi in nutus ſuos præcipitis, ſed vnam Dei in omnibus gloriam & voluntatem. Itaque in hac, quâ de agimus, abdicatione gubernationis Belgicæ, non ſecutus eſt ea quæ habebat plurima aduerſa intentioni & optimæ voluntati ſuæ in rem publicam, non vires corporis attritas per labores

Dei in his animaduerſa prouidentia,

bores & ægritudines, ex his pænè continentes; non ipsum denique (quod sanctum omnino videri poterat) votum vnicum vacandi Ecclesijs, tot sibi vni Episcopo commissis; sed omnibus his prudenter sepositis, necubi illuderet improuido sibi, vel natura honesti fuco, vel falsa ratio præstigio veritatis, vel ipsa demum virtutis specie sanctitas adumbrata; Deum vnum testem adhibuit & arbitrum agendorum. Huic, priusquam abiret in deliberationem muneris abdicandi, quinque millia Sacrorum vouit, & soluit, impetrandæ causâ lucis à cælo. Hunc crebertimis precibus, quà suis priuatim, quà publicis plurimorum, vocauit in præsidem consilij. Huius sibi assistricem Sapientiam tum, cùm decreturus erat de re, Venerabili Eucharistiâ extra ordinem sumptâ, conciliauit sibi; & coram eâ denique sibi intimâ sanctè statuit quod occurrebat oranti, firmitate tantâ, vt se nec familiarium Procerum consilijs, nec plurimorum precibus, nec ipsius demum Regis votis aut obtestationibus dimoueri vel tantulùm passus sit à decreto suo; cùm fateretur palàm, non suum illud esse, sed Diuinum; adeóque maiori pondere & auctoritate fixum, quàm vt humanâ vllâ vi aut momento moueri loco, aut deberet, aut posset. Mutentur & vacillent ea, quæ firmantur cogitatione mortali timidâ, si humanæ rationis ex aduerso nutus accedat; quæ Deo fixa sunt, constent sibi, destituenda numquam fine suo & bono.

à quâ dirigi voluit.

CAPVT

CAPVT I.

Leopoldi *Prudentia militaris.*

Prudentia militaris vel bellum constituit, vel administrat. Illud non requirimus in Serenissimo Leopoldo, qui quamquam virtute suâ, alienâ tamen potestate militauit. In belli administratione, seu Imperatorio seu Regio nomine susceptâ, amplissimus eius prudentiæ locus fuit.

Primæ huius virtutis partes sunt, euentus rerum prouidâ deliberatione præspicere, non suo vnius oculo, sed plurium expertorumque perspicaciâ: deficientis enim prudentiæ est, suis vnius consilijs plus nimio fidere. *Partes prudentiæ militaris:*

Quæ maturè deliberaueris, quàm celerrimè exequi: mora omnis cùm in alijs sit nociua, tum in bellis est omnino perniciosa, in quibus leui flatu vertuntur vela.

Clausa silentio tenere consilia, ne in vulgus erumpant: prodita aut pereunt aut præuertuntur.

Præsenti occasione vti, ne elabatur: eripit occasionem hosti, qui intentus est suæ.

Eos militaribus officijs præstituere, ac dignitatibus admouere, quos commendant merita, non Aulæ fauor: hic enim facilè patronum habet, qui limen terit, aut obsequijs colit; ægrè, cuius dumtaxat fama ad aures perfertur.

Pugnare non hostium arbitrio, sed tuâ ac tuorum voluntate; sicque illorum versare molimina, vt conserere non possint, dum volunt; cogantur, dum nolunt.

Stratagematis iuuare virtutem; & vbi non possis numero, ingenio certare.

Accurare stipendia & annonam, reique militaris apparatum: languet virtus, vbi famet stomachus, vbi aurum vel argentum non sonat.

 Secu-

Securitatem suis præstare, ne ad lanienam ducantur, dum parantur victoriæ.

Licentiam ac petulantiam militum dexteritate compescere, ne sub militum nomine latronum exercitus circumferantur.

omnes LEOPOLDVS implet Consiliariorum delectu, deliberandorum consideratione priuatâ;

Serenissimus ergo Princeps, aditâ Armorum gubernatione, id egit illicò, vt eos haberet à consilijs, quorum probata esset fides, quâ vellent; iudicium & experientia, quâ possent sana, & in quauis deliberatione salutaria consilia exhibêre. Ipse, quæ in deliberationem venire possent, præuidit maturè; expensa priuato sensu, expendenda communi exposuit; lucem de suo addidit, accepit vicissim de alieno. Nihil præcipitauit, nihil cunctatus nimiùm, suum cuique rei tempus dedit, quod & maturè ponderandæ sufficeret, nec deficeret exequendæ.

sententiarum, suo iudicio aduersantium, patientiâ: in decernendo solertiâ; osor discordiæ in censendo, amans varietatis:

Suspensa, inuoluta, & quandoque arduitatem rei declinantia consilia quamquam odisset, amaret limpida, neruosa, rei pondus accuratè librantia: tamen & illa patiente pacatoque animo, dum ad propositum punctum vel venirent, vel ducerentur, audiebat; & ista ita accipiebat, vt non vnius dumtaxat sententiam arriperet, sed singulorum misceret aliquid; vt nemo sua reiecta quæreretur, nemo sua ceteris antecellere arroganter gloriaretur. Quantum detestabatur consiliantium discordias, tantum amabat consiliorum varietatem; quòd hæc plures ad rei veritatem vias aperiret, illa mutuas animorum offensiones generaret. Quare & suis ipse dicendi libertatem non concedebat modò, sed imperabat, quæ tamen non degeneraret in licentiam; & voluntatum in idem publicum bonum conspirantium vnionem maximoperè commendabat: ad quod cùm pluribus semitis peruenire posset, eam demum deligebat, in quam plures conue-

conueniſſent, ceteri non diſſenſiſſent. Non ita tamen ſuorum ſententijs ſe vinciri paſſus eſt, vt nihil ageret, niſi quod alijs agendum aut videretur, aut probaretur. Hoc enim eſſet imperium pati, non conſilium accipere. Ideò ſi ſententiæ irent aliquando in aduerſa, ſeu quod partem periculi metus ageret, partem ſpes boni exitus incitaret, ſeu quòd quiſque ſui ſenſus delatio dedecus exiſtimaret in alienum ire; nihil ipſe cum diſſidentibus decernebat, ſed conſulebat in arcano Deum, cum Deo concludebat; auſus aliquando ea, quæ temeritas videri poterant, etiam cautioribus, niſi interiùs agente Numine ea ſuſcepiſſet. Ceterùm nullius ipſe priuati affectus, omnes Dei gloriæ, Reipublicæ Chriſtianæ, Cæſaris, Regiſque bono obligauerat; quod vnum in agendorum deſignationibus reſpiciebat. Verum eſt, non ſemper euentum reſpondiſſe conſilijs: non ideò tamen ſunt improbanda. Plebeiorum enim eſt, conſiliorum momenta ab euentu metiri. Hunc ſæpè temeritas, ſæpè furor fortunatiſſimum aſſequitur, dum tamen virtutis nihil, plurimum vitij exhibetur. Fortuita multa in arenam veniunt, quæ prudentiſſimum conſilium euertere aut fruſtrari poſſunt. Qui rerum pondera ſapientiſſimè librabant, Ferdinandus III. & Philippus IV. eximiam Archiducis prudentiam cum ſingulari coniunctam experientiâ mirificè ſemper commendarunt; vt propterea etiam Auguſtiſſimus Cæſar, poſtquam impetraſſet Sereniſſimus gratiam, ſeu Germanica, ſeu Belgica arma ponendi, non paſſus ſit eum in Epiſcopatibus ſuis (quod vnicè ambiebat) reſidêre; ſed lateri ſuo adeſſe voluerit, vt ſuis conſilijs & prudentiâ, per tantam rerum experientiam comparatâ, frueretur.

cui ſit ſe accommodat, vt ſeruet ſibi imperij libertatem.

conſulto in perplexis Deo, decernens ex æquo & bono publico,

quod non vitiatur euentu:

hinc Cæſari & Regi probatus.

Tum verò quia non cogitando, ſed agendo prudentia abſol-

In deliberando grauis, in exequendo celer.

abſoluitur, quod decreuiſſet maturè, non executus eſt lentè. Omnis illi ingrata mora, niſi quâ vel atterebatur hoſtis, vel res periculo eximebatur. Primus illi campus Bohemia fuit. Huc mirâ celeritate ex Belgio, & hereditarijs Auſtriacorum Prouincijs militem contrahit, quo fractis antè vires non tantùm redintegrat, ſed auget. Mox Piccolomineo ex Belgio accito iunctus, Clumezium, Reginogradezium, Koſtam, Schallam, Brandiſium, Bunzelium, ac Littomerizium occupat; & depulſis vndique Bannerij copijs, eò ſui terrorem ſpargit, quò ipſe non pertingit. Mox victorem licet, & palmarum affluxu tumidum hoſtem, Zwikauiam vſque præ ſe agit, inde per Miſniam in Thuringiam perſecutus. Conſertum fuerat cum hoſte ad Iankouiam, Sereniſſimo Archiduce nondum armis præſente, conſilio optimo, euentu peſſimo. Promouebat vſum victoriæ Suecus, & toto impetu ſe Auſtriæ infundebat: quâ parte primùm fides in Cæſarem nutare poterat, huic primùm adſtitit Leopoldus, erexit animos, firmauit fidem. Mox Viennæ comparet; prouidet Brunæ, Pilſnæ, & Rakonicio: Danubij Inſulas, quas iam inſederant Sueci, expurgat; Caſtro ad pontes ſito, & altero ad Crembſium aggeſto, expellit: Rakozium Dorſtenſonio iungere ſe molientem, affligit, & ad honeſtam pacem compellit. Inde magnis itineribus in Gallos, occupatâ Philippoburgo, Meinhemio, Moguntiâ, Spirâ, inſolentes, & iam per ipſa Sueuiæ viſcera impunè deſæuientes, mouet, & trans Rhenum cogit. Nec minore celeritate reuerſus, per Buchaimium recipit Crembſium, & Corneoburgum; per Generalem de Souches, Nicolſpurgum, & Meypergam, ac Falkenſtainium occupat: ipſe interim Vrangelium in Haſſiam agit. Ita repentè ab Auſtriâ ad Rhenum, mox in Vngariam,

Factis oſtenditur in Bohemiâ,

in Auſtriâ,

ad Rhenum,

in Vngariâ, &c.

riam, in Bohemiam, in Franconiam, in Silesiam, in Thuringiam, fulminis in morem, volat, & vbique præsens vel occurrit hosti, vel eum affligit. Belgij susceptâ gubernatione, vix nuntium sui Viennâ discessus eò penetrauit, iam præsens adfuit. Annorum plurium labores in trimestre spatium coëgit, quo superatis ac in potestatem redactis Armenteriâ, Lendio, Cominio, Landresio, & Dixmudâ, ingentia aut robusta propugnacula magno numero, quem aliàs recensui, celeritate obruit. Etiam fractus ad Lendium, vires collectas repentè, cum omnium admiratione opposuit hosti, & vlteriores progressus impediuit. Grauelingæ mœnia priùs obsidione coronauit, quàm ciuis aduentare intellexerit. Plura ex Prolegomenis pete, qui desideras. *in Belgio demum.*

Consilia ita texit, vt priùs paterent euentus rerum, quàm decreta molimina. Ita mandabat expeditiones, vt nec ipse qui expediebatur miles, consilij finem assequeretur: eundum sciebat; quò, ignorabat. Cùm ad dexteram meta esset, iter ad sinistram imperabat: vt aliò molimina tendere viderentur, aliò pertingerent. Obsidendam à se Grauelingam nemo suorum nouit, nisi cùm ad mœnia constitit. Sagacitatem Caroli Lotharingiæ Ducis silentio irretiuit, vt ad mandatum Catholici Regis arresto teneretur. Ipsis hostibus hoc nomine & admirationi & terrori fuit, qui antehac nullo negotio explorare poterant omnia; gubernante Leopoldo, etiam magnis auri impensis, nihil. *Secreti tenax, ostendit factis, vel hoste probatis.*

Occasionibus oblatis vsus, magnam victoriarum partem promouit. Slangij à Bannerio separationem vbi intellexit, virtutem suam celeritate acuit; ratus eius occasionem opprimendi, arripuit; obsidet Neoburgi ad Herciniam siluam, & captiuum ducit. Turbata dissidijs *In occasionem intentus,*

absoluitur, quod decreuisset maturè, non executus est lentè. Omnis illi ingrata mora, nisi quâ vel atterebatur hostis, vel res periculo eximebatur. Primus illi campus Bohemia fuit. Huc mirâ celeritate ex Belgio, & hereditarijs Austriacorum Prouincijs militem contrahit, quo fractas antè vires non tantùm redintegrat, sed auget. Mox Piccolomineo ex Belgio accito iunctus, Clumezium, Reginogradezium, Kostam, Schallam, Brandisium, Bunzelium, ac Littomerizium occupat; & depulsis vndique Bannerij copijs, eò sui terrorem spargit, quò ipse non pertingit. Mox victorem licet, & palmarum affluxu tumidum hostem, Zwikauiam vsque præ se agit, inde per Misniam in Thuringiam persecutus. Consertum fuerat cum hoste ad Iankouiam, Serenissimo Archiduce nondum armis præsente, consilio optimo, euentu pessimo. Promouebat vsum victoriæ Suecus, & toto impetu se Austriæ infundebat: quâ parte primùm fides in Cæsarem nutare poterat, hùic primùm adstitit Leopoldus, erexit animos, firmauit fidem. Mox Viennæ comparet; prouidet Brunæ, Pilsnæ, & Rakonicio: Danubij Insulas, quas iam insederant Sueci, expurgat; Castro ad pontes sito, & altero ad Crembsium aggesto, expellit: Rakozium Dorstensonio iungere se molientem, affligit, & ad honestam pacem compellit. Inde magnis itineribus in Gallos, occupatâ Philippoburgo, Meinhemio, Moguntiâ, Spirâ, insolentes, & iam per ipsa Sueuiæ viscera impunè desæuientes, mouet, & trans Rhenum cogit. Nec minore celeritate reuersus, per Buchaimium recipit Crembsium, & Corneoburgum; per Generalem de Souches, Nicolspurgum, & Meypergam, ac Falkenstainium occupat: ipse interim Vrangelium in Hassiam agit. Ita repentè ab Austriâ ad Rhenum, mox in Vngariam,

Factis ostenditur in Bohemiâ,

in Austriâ,

ad Rhenum,

in Vngariâ, &c.

riam, in Bohemiam, in Franconiam, in Silesiam, in Thuringiam, fulminis in morem, volat, & vbique præsens vel occurrit hosti, vel eum affligit. Belgij susceptâ gubernatione, vix nuntium sui Viennâ discessus eò penetrauit, iam præsens adfuit. Annorum plurium labores in trimestre spatium coëgit, quo superatis ac in potestatem redactis Armenteriâ, Lendio, Cominio, Landresio, & Dixmudâ, ingentia aut robusta propugnacula magno numero, quem aliàs recensui, celeritate obruit. Etiam fractus ad Lendium, vires collectas repentè, cum omnium admiratione opposuit hosti, & vlteriores progressus impediuit. Grauelingæ mœnia priùs obsidione coronauit, quàm ciuis aduentare intellexerit. Plura ex Prolegomenis pete, qui desideras. *in Belgio demum.*

Consilia ita texit, vt priùs paterent euentus rerum, quàm decreta molimina. Ita mandabat expeditiones, vt nec ipse qui expediebatur miles, consilij finem assequeretur: eundum sciebat; quò, ignorabat. Cùm ad dexteram meta esset, iter ad sinistram imperabat: vt aliò molimina tendere viderentur, aliò pertingerent. Obsidendam à se Grauelingam nemo suorum nouit, nisi cùm ad mœnia constitit. Sagacitatem Caroli Lotharingiæ Ducis silentio irretiuit, vt ad mandatum Catholici Regis arresto teneretur. Ipsis hostibus hoc nomine & admirationi & terrori fuit, qui antehac nullo negotio explorare poterant omnia; gubernante Leopoldo, etiam magnis auri impensis, nihil. *Secreti tenax,* *ostendit factis,* *vel hoste probatis.*

Occasionibus oblatis vsus, magnam victoriarum partem promouit. Slangij à Bannerio separationem vbi intellexit, virtutem suam celeritate acuit; ratus eius occasionem opprimendi, arripuit; obsidet Neoburgi ad Herciniam siluam, & captiuum ducit. Turbata diffidijs *In occasionem intentus,*

Gallia ei ansam dedit recuperandi Ipras. Composita rursum, & ad Cameracum effusa, prouidendi Valencenis, Duaco, Buccinio, & Bruxellis; ac ipsum Cameracum, citra illarum vrbium periculum, obsidione liberandi; irruendi cum exercitu in Gallias; sui terrorem passim spargendi; occupandi Capellam, Verbinium, Marlam, Montem Corneti, Aubantonium, Castrum Porcy, Retheliam & Musonium; ac post circumlata victricia arma, nondum compositis scissionibus, Grauelingam & Dunkercam recipiendi.

varijs casibus.

Aptos munijs adhibet, ineptos arcet,

Publicis belli munijs nec improbos admoueri voluit, nec inexpertos, quòd horum exaltatione deprimeretur publicum bonum: probos legebat, fidos & expertos, qui suâ se probassent virtute, non alienâ commendatione. Hinc assumptus primùm, resumptus deinde ad armorum gubernationem, à Cæsare postulauit, suo vt staret arbitrio ministeria bellica conferre, qui benè merentes nosset ipse plus reliquis, quòd per gradus ad dignitatem promota virtus & sequentium animos incitaret acriùs, & in arduis fidelitatem arctiùs obstringeret; cuius defectus si irrepat in castra, omnis prosperorum euentuum spes est accisa. Regi Catholico de Capitibus exercitui præferendis, vt quemque norat optimè, ipse seu virtutis seu ignauiæ spectator assiduus, sententiam perscripsit sæpiùs, ne impensus in vnum fauor esset omnibus irreparabili detrimento. Nec intercedebat affectus, seu pronus in vnum, seu auersus in alium, qui non se constituerat ipsum suarum actionum scopum, sed Dei gloriam, Regis obsequium, & publicum Prouinciarum emolumentum.

citra passionem vel odij vel amoris.

Laudatus à prudente fortitudine, vel ab hoste,

Conflixit sæpiùs, etiam cùm palmam perdidit laudatus ab hoste, sincero virtutis æstimatore, quòd numquam defuerint vires & arma, locus & ordo, spes, & propè

propè certitudo vincendi; sed suorum vel constans fides, vel fortis animus. Sæpiùs conflictum declinauit; sed hoc ipso vel hostem fregit, vel attriuit. Non minus est boni Ducis, vitare pugnam, ex quâ nil referas, quàm inire, cùm emolumentum speras. *siue cùm conflictu perdidit, seu cùm abstinuit,* Ad Frizlariam, viribus imparem elicere tentauit Bannerius, vt incautum opprimeret; maluit sustinere impetum, quàm conserere: tectus loricis & vallis seruauit suos; hostium per velitationes cecîdit complures: qui non suffecit vt hostem frangeret, suffecit vt carperet, donec perditi temporis pertæsum suâ constantiâ abêgit. Ad Zwikauiam stetit hostis instructâ acie: *siue cùm vicit.* Archidux Osterwicum, Goslauiam, Hornburgum vires conuertit, & obtinuit; quòd ad publicam salutem expedire magis existimaret, vrbibus & oppidis hostem exigere, quàm eius arbitrio in campo decernere. Vicissim pugnam obtulit Dorstensonio ad Lemburgum, quam & ille declinauit: obtulit ad Augustam Vrangelio, quam refugit: oblatam sibi ibidem neque Archidux admisit. In Belgio ad Landracum, itidem ad Cameracum conserere detrectauit, prudenter ratus, in bello defensiuo cunctando rem geri feliciùs, quàm confligendo. Nihil non egit Turenius, vt in pugnam pelliceret; nihil non Archidux, vt eum sustinendo attereret.

In Ducis prudentiam veniunt & stratagemata. Pars magna victoriæ est, ingenio elusus hostis. *Sæpè stratagematis vsus;* Constiterat ad Salafeldiam Serenissimus Archidux: imminebat Bannerius, opinione suâ hunc oppressurus; à fronte fluuius & hostis, à tergo silua annonam non admittebat: inuenit ingenium, quod natura non exhibebat præsidium: per longissimam densamque siluam ferro molitus viam, commeatui accessum fecit, hostem ad desperationem

iisque variis. redegit, suos seruauit. Wolffenbito à Suecis obsesso, rerumque penuriâ laboranti vt succurreret, aggreditur non optato successu obsidentium valla; submouet hostium periculis exercitum; frumentum de vicino loco colligit; dimittit sexcentos saccis oneratos; subsistit propè successui inuigilaturus, & tandem vrbi feliciter immittit, obsessis animos facit, obsidentibus eripit. Ad Weissenfeldiam quiescere Archiducem acceperat hostis: vt opprimeret, stratagema molitus, recepit: imponit Serenissimus pontem fluuio, hoste ex auersâ ripâ inspectante, hucque totas vires cogente. Interim pontem iacit securiore loco, partem militis transmittit, extremum hostis agmen à tergo cædit, reliquum in confusionem & fugam agit. Brigæ obsidione soluendæ intentus, simulat se Olomucium, quod à Suecis tenebatur, aggressurum; dum his timorem incutit, illis vera vulnera infligit. Profligatur à Montecuculo Slangius, Dorstensonius metu vicini Archiducis, re desperatâ, à Brigensi vrbe in Pomeraniam vsque se subducit. Castrum quod ad Viennam in ripâ transdanubianâ tenebat Suecus, flagellat à cisdanubiano littore, dum hinc allapsus timor stationarium militem in profunda cogit; vis adest secundo Danubio aduecta, bis mille equitum, peditumque mille; inscenditur vallum, locus ad deditionem cogitur. Arlunum ingenio seruauit: vt Turenium hinc abigeret, expediuit copias, quæ Wormaciam & Moguntiam premerent: res ea exciuit Turenium, seruauit Arlunum. Periclitabatur Cameracum, totis pænè Galliæ viribus, stringente Harcourtio, nullis, supra consuetum altissimâ pace præsidium, viribus munitum: submittit illicò auxiliarium equitum legiones septem, pedites sexcentos Serenissimus, Ducibus Brouckio, Garnerio, & Dossezy. Hi magno animo sub densam

densam noctem, cæsis fugatisque stationarijs, penetrant. Vbi diluxit, iunguntur domesticæ copiæ aduentitijs; sistunt se instructo agmine extra vrbis portas: ratus Harcourtius totam hanc molem subsidio venisse, vasa colligit, & exustis mapalibus migrat. Et Dunkerca per artem Gallis erepta est. Ad deditionem res vergebat; quies obsessis petentibus in sextum diem concessa, eâ lege, vt si interim non adesset succursus, mox vrbe excederent. Spes tenebat obsessos; nec deerat Archiduci. Appropinquabat Gallica classis: huic vt moram faceret, persuasus præmio Blaeckius Anglorum Architalassus, eam mediâ nocte dissipauit, tria nauigia demersit, quatuor remoratus est: denique locus in potestatem Leopoldi redactus.

Prouidentiam annonæ, stipendiorum, reique militaris, præmittebat expeditioni; vt nihil aggrederetur, cuius perficiendi vires non suppeterent. Ne viueret in diem miles, curam sæpè in annos extendebat: vt securum omni loco commeatum redderet, circumuicinos occupauit: cùm bellis neruus deesset, ne caderet animis miles, suum ipse thesaurum omnem est elargitus. Ne in se salutando Bruxella sumptus, quos parabat amplissimos, faceret, in militem conuerti postulauit. Lecto etiam Valencenis affixus, ne militi Guisiam obsidenti quidquam deesset, curribus equisque proprijs annonam submisit. Hac vnâ causâ ad Imperatorem sæpiùs, sæpiùs ad Regem Catholicum scripsit & ablegauit, vt quantum sua emolumenta promota vellent, tantum promotori militi prouiderent. Etiam à sago ad togam ex Belgio rediturus, ne vacua castra desereret, copiosissimum belli & annonæ apparatum successori suo Ioanni Austriaco comparauit.

Annonæ, & stipendiorum prouidus,

vel de suo,

Securitatem parit suis: Vt ſecurus ſuus eſſet miles, ſæpè ipſe eſt periclitatus: ipſe ad aſſumendas vrbium obſidiones metatus caſtra, ipſe circumuallationes deſcripſit, loricas deſignauit, non operis tantùm ſpectator, ſed etiam adiutor: ipſe, vt ſomnum miles caperet, vigilias produxit, caſtra & tentoria obiuit, nullâ ſibi conceſſâ quiete, niſi quieſcere militem cognouiſſet: ſi propiùs abeſſe hoſtem intelligeret, erectis aggeribus ſomnum voluit eſſe ſecurum: poterat ipſe molliorem capere in ædibus quandoque vicinis; maluit eâdem cum ſuis vti ſorte, & ſubſtrato ſolùm pallio incumbere, ne quid, ſe remoto, turbarum ab hoſte pararetur. In exercitûs progreſſu modò primis, modò poſtremis, modò medijs ſe immiſcebat, vt partem omnem ſecuriorem redderet. In traiectione pontium ſpectator aderat, nec priùs mouebat loco, quàm omnes ripam tenuiſſent.

militarem licentiam reprimit. Hinc repreſſa in milite licentia, à quâ plerumque non minùs Prouincijs eſt metuendum, quàm ab hoſtili exercitu. Collapſa diſciplina ad vigorem excitata: decretæ pœnæ, ſi quid inſolentius actum; collata præmia, ſi quid laudabilius. Nemo non nouit, in tam diuturno per tot Regna ac Prouincias circumducto bello, eum quandoque rerum penuriâ laboraſſe; ſed nemo etiam ignorat, vno ſeruandæ diſciplinæ nomine, eum poſtulaſſe ab Imperatore liberam prædarum, tributorum, exactionum, fiſco accedentium bonorum, diſpoſitionem: nemo ignorat, cùm ſæpè rogata annona non ſubminiſtraretur, & à Cæſare & à Catholico Rege ſuſceptis Prouincijs liberari petiiſſe, quòd non poſſet in tantâ militis neceſſitate coërcere licentiam, & conſcientiæ ſuæ quietem imperare.

CAPVT

CAPVT II.

Iustitia militaris.

VT Regnorum felicitas pœnis & præmijs, duobus veluti cardinibus vertitur; ita armorum non infecunda gubernatio, tota penè ab horum vigore dependet. Cassa est omnis Ducis prudentia & industria, vbi præmiorum spes est adempta: vasta sceleribus ac latrocinijs porta aperitur, vbi suppliciorum metus est sublatus. Vt illa magnis animis ad ardua quæque intrepidè obeunda sunt calcar; ita ista ignauo, aut solùm in scelera audaci militi, sunt frenum ad omnem vitæ licentiam cohibendam. Quare ne in languorem desidêret meliorum generositas, ne in furorem assurgeret peiorum audacia, Serenissimus Archidux appendit sceleribus ferrum, virtutibus aurum. Sic enim statuit: *Denique ipsi Generales, Colonelli, eorumque substituti Officiales, & bono vitæ suæ exemplo, & potestate quam in sibi subiectos milites habent, diligenter procurabunt, vt ab exercitu nostro omnia publica scandala, adulteria præsertim, aliique illegitimi concubitus, blasphemiæ, profanationes, & spoliationes sacrorum locorum, & alia huiusmodi enormia peccata, omnino amoueantur: & quando in ijs corrigendis Castrensium Sacerdotum labor non esset sufficiens, ipsi quoque adhibeant operam suam, atque in delinquentes, si moniti ab huiusmodi sceleribus non destiterint, seuerè animaduertant, iustitiamque debitè administrari curent.*

Præmiorum & pœnarum necessitas:

has sancit LEOPOLDVS,

Nota est in Madlonij legionem animaduersio. Hæc in Lipsiensi campo turpi fugâ, relictis stationibus, totius aciei dissipationi auspicium dedit: hanc Rockezanæ in ius postulauit, de militiæ legibus ad infamem laqueum condemnauit. Si per eum stetisset, nemo vecors castra

exigitque.

ſecutus fuiſſet, nemo non magnanimus, & ſanguinis vitæque prodigus.

Non ignoro, quandoque milites ſeu illectos auaritiâ, ſeu neceſſitate compulſos, quà vel iter eſt, vel quies, euacuare domos, expilare arcas, ouilia deuaſtare, & obuia quæque diripere; vbi tamen eius licentiæ argumenta ad Sereniſſimum delata, repoſita ſunt illicò dominis ſpolia, ſi extarent; ſi periiſſent, Principis ærario æquitas conſtituta; nemo cum iuſtitiæ læſæ querelâ dimiſſus.

A ſuo milite ablata vel reddit, vel ſatisdat.

Ad æquitatem Leopoldi ſpectat correcta Magnorum potentia, qui auctoritate quâ in aulâ pollebant abuſi, ne per ſua dominia miles procederet, in infirmiorem vicinum totum onus deuoluebant, & per aliorum damna ſua bona promouebant. Nec ignorabat quàm ſiniſtro id animo acciperent, quàm iniquo murmure Cæſareas aures pulſarent; ſed æquum cenſebat, vt qui in pluribus defenſæ patriæ emolumentum experirentur, non minùs conferrent ad militis conſeruationem.

Etiam potentiores coërcet.

Exempla plura dedit Belgium, vbi amorem Iuſtitiæ ingeſſit Ducibus, quibus promptus obſequendi animus; nec ignauiam paſſus eſt; nec furta, rapinas, & quæ Martem comitari ſolent flagitia tolerauit. Numquam tamen ita exercita Iuſtitia, vt vacaret Clementia. Ipſa nominata Madloniana legio ſolùm eſt ad caſum aleæ decimata. Tot preſſæ ab hoſtibus vrbes habuêre quandoque non conſtantem defenſorem, tot ab ipſo Sereniſſimo obſidiones ductæ ignauos rerum promotores; mortem meritis occurrit clementiâ, & ſeruauit ad meliora. Parco eorum nominibus, quos in ius vocatos non dimiſit è ſuo ſinu indefenſos, quos dignitate ſubmotos, rurſus admiſit; qui demum magnanima generoſitate, & ſingularibus

Iuſtitiam ſemper comitante Clementiâ;

laribus fidei exemplis priorem notam eluerunt. Quin ad tribunal vocari non sustinuit quemquam, nisi & delicti grauitas, & commissi demonstratio essent eiusmodi, quæ citra iustitiæ vulnus tribunali subtrahi non possent. Nemo etiam capitis damnatus clementiam non est expertus, quæ vel sententiam sustulit, vel mitigauit. In quos sui Duces seu gladium seu laqueum decreuerant, ijs sæpiùs ipse vitam concessit. Hispanum alterum, alterum Italum, à castris transfugas, de patibulo pendere iusserat in terrorem alijs Comes Fuensaldaña. Vidit ad crucem trahi Archidux; mox vt clementiæ exstaret argumentum, horum vni, cui faueret alea, vitam donari iubet; at priusquam adesset nuntius, pependit Hispanus: Italo cessit gratia, sed nec eâ caruit Hispanus; nam resecto fune viuere deprehensus, mentis tamen impos, cui & loquelæ ac sanitati die altero est restitutus, non sine auxilio, vt rebatur ipse, gloriosissimæ Dei Parentis, quæ illi frequens in ore, assidua in animo fuit. In quam vt gratum animum testaretur, petijt, & ab optimo Principe impetrauit, militiâ solui, vt in patriam redux eidem Virgini in Sacello Atochano seruiret, & liberali ad viam ære donari.

Valuit & præteritæ virtutis æstimatio, vt aliquando præsenti crimini patrocinaretur. Meruerat vnus aliquis restim: passus est eum ad supplicium deduci, non subire; ibi enim palàm edici voluit, vitæ gratiam antehac exhibitæ generositati concedi. Nemo frugi fuisset, quem in antecessum mores laudassent, quem secuta fuisset magnanimitatis fama, ad precariam vitam deiici passus, ipse benignè oblatâ occurrit piâ erroris excusatione. Numquam tamen indulgentia in exemplum iuit delinquendi, quæ æquè spectantem, ac eâ fruentem constringebat ad benè agendi necessitatem. Pronior ad benefaciendum Princeps, *maximè in olim meritos; quibus aut pepercit, aut fecit benè.*

quos virtus sua fecisset magnos, maiores fecit mercede virtutis. Alios ornauit beneficijs, alios auxit opibus, alios dignitatibus, quibus etiam hodie sunt eximij; alijs sola meritorum æstimatio ingens præmium est visa; alios etiam in coniuge & liberis, post generosa funera, est muneratus; alios impensâ apud Cæsarem Regemque commendatione, ad nobilitatis titulos, ad priuilegia, ad officia promouit: hanc vnam suam ratus felicitatem, quòd iacentem virtutem reddere posset feliciorem.

CAPVT III.

Fortitudo militaris & Magnanimitas.

Leopoldi magnanimitas,

Amplissima hæc laudandi Archiducis est materia, quæque sola, si narrandi institutum assumpsissem, vasto commentario non satis comprehenderetur. Nulla expeditio, nulla pugna, nulla obsidio, nulla pericula, quæ illi tot bellis occurrêre quàm plurima, non singularem illi imperterriti animi laudem peperêre. Vt cautis etiam aliquando visus sit vel audaci vel temerario propior, qui vitam suam misceret gregariorum periculis, ipse consisteret in acie, aut in partes omnes circumuolaret & exhortator & præliator; ipse obsidionum accessus moliretur, ipse subiiciendis cuniculis director adesset; & non tantùm nullum discriminis genus declinaret, sed vltrò etiam se in eam partem coniiceret, vnde maius imminere videbatur. Quæ bellicæ fortitudinis exempla cùm ad aures Serenissimi Maximiliani Bauariæ Ducis peruenissent, hæsit primùm attonito similis; tum verò: *Fieri ergo potest*, inquit, *vt tanta Leopoldus pro experientiâ militari suâ pericula norit, & ijs tam intrepidè se exponat?*

visa cautioribus temeritati propior:

de illâ iudicium Maximiliani Bauari:

Erant

Erant ex fidis Serenissimi Ministris, & illi viri perquàm strenui, qui per ipsius Confessarium, & in castris periculorum socium, eum precabantur, ne se tam manifestis vitæ periculis exponeret; in vnius animâ multorum millium animas periclitari, tot Prouinciarum publicum bonum ab vnius vitâ pendere: si sinister (quem auertant Superi) ingrueret casus, momento omnia euertenda; parceret & suis (quamquam paucissimi latus stiparent, cùm propior se hostium viribus admoueret) qui quamquam honori sibi æternæque gloriæ ducturi sint, si ad latus sui Domini sterni contingat, metuant tamen magis, ne quod grauius suo Principi discrimen incumbat, quo necesse sit, & quem amaret exercitum perire, & pro quibus bella gereret, Prouincias hostium populationibus deuastari. Tum verò Archidux: *Qui metuant*, inquit, *extra teli iactum maneant: mihi horum obsequia nec grata sunt, nec necessaria. At tu* (ad Patrem conuersus) *me ne destituas, neque eos qui me sequuntur. Virtus te zelusque animarum fecit vitæ tuæ contemptorem: succurre animæ, si cuius corpus mihi ad latus ceciderit; imò & mihi, si Deo visum fuerit, me pro suâ gloriâ pugnantem, aut vulnere aut morte honorare.* Plures erant qui temeritati adscribebant, quod erat virtutis; qui cùm charo capiti metuerent, rogabant sæpiùs, cùm in suâ vitâ viuerent omnes, hanc tantis periculis non prostitueret. Quibus aut illud Alberti olim Belgij Principis reponere consueuit: *Confiderent; belli Imperatorum neminem librato muralis machinæ ferro periisse*: aut illud dignum maximo Imperatore Carolo V. dignum Ferdinando tertio ad Nordlingam victore: *Nullum Austriacâ è Familiâ Principem. in summis etiam bellorum æstibus, balistæ maioris globo occubuisse.* Et verò nihil hîc temeritati licuisse, nihil non virtutis fuisse, satis prodit id quod monentibus, vt saltem

de eadem quid censuerit LEOPOLDVS *ipse, quid dixerit;*

ostendens se non agi temeritate,

tem

sed Deo & virtute niti,

tem loricâ pectus præmuniret, respondit; *Lorica nostra Deus est.*

Sed illud verè fortis, ac Deo muniti pectoris argumentum. Qui ei erat à conscientiæ secretis P. Ioannes Schega è Societate IESV, vt,quod tot alij optabant, efficaciùs euinceret, Religionem mouit Archiduci: Laudabilem quidem esse, & mirificè militum animos afficere illam imperterriti pectoris magnitudinem; eam tamen videri eiusmodi, quæ non vacet Deum offendendi periculo; si mortem non formidet, metuat (quod vnum ab ineunte ætate semper maximè formidauit) peccandi periculum. Reposuit coniunctissimus Deo Princeps: *Cuius*, inquit, *offensionem timendam mones, eius præsidio nitor; pro bonâ causâ pugno: erit adiutor, qui est arbiter; conscientiâ fretus sic viuo, vt mori possim.*

ex symbolo suo adhuc tyronis, quod nil desperandum Christo duce:

Atque hæc est singularis in Deum fiducia, quæ quantâuis laborantes formidine animos inuictâ fortitudine munit, quâ etsi à teneris annis se semper firmauerit Archidux, pij parentis secutus exemplum; eo tamen die, quo Cæsaris nomine primùm arma suscepit, quàm constante animo inniteretur Deo, suo chirographo est contestatus, quando hanc suæ virtutis tesseram hierothecæ de collo pendulæ inclusit: IESV *&* MARIA, *quem timebo, quando tu non tantùm mecum es, sed & meus es?* quod sæpiùs, eo interiùs agente Numine, cuius ipse & bonitati & potentiæ credebat omnia, alia egerit, quàm suorum consilia statuissent: inde factum, quod mallet loquentis intra se Dei vocem sequi, quàm humanas deliberantium rationes audire. Fuit aliquando vt hæc miraretur Marchio de Lede, cuius consuetudine delectabatur Princeps, atque ex hoc quæreret, satísne rationum pondus fuisset assecutus: ausus etiam hoc pro confidentiâ sibi à Principe

cipe

cipe factâ, Quâ tandem causâ, quod dissuasissent Consiliarij, in re tam arduâ, tantique momenti aggrederetur? Cui candidissimus Princeps respondit: Equidem se allatarum difficultatum momenta percepisse, ac ponderasse; se tamen interiore quodam motu præter modum singulari, quem Diuinum crederet, impelli, vt confisus Deo, qui in se fidentem numquam deserit, rem aggrediatur. Quin eam quandoque Deus fiduciam, si non portentis, certè insperato alijs euentu remuneratus est. Vnum hîc memoratu dignum. Incluserat Neoburgo ad Bohemiæ fines Slangium cum numeroso milite; insistebat magnâ violentiâ mœnibus, vt ad deditionem compelleret; sed nondum pertinaciam expugnabat. Imminebat tempus assultui dictum. Archidux ad suos conuersus, *Missæ*, inquit, *Sacrificium audiamus*; *& Deus vecordem reddet inimicum.* Mirum dictu! Vbi primùm sacra Hostia præsentibus spectanda sublata, auditum è mœnibus deditionis signum; ad quod Serenissimus Archidux piè; *Sic hostes vincendi sunt.* Hac ergo fiduciâ fortis ac imperterritus, quinque ad Salafeldiam exercitibus cinctus, Succo, Hassico, Luneburgico, Gallico, Vinariensi, quorum numerus ad tringinta millia ascendebat, longè inferiore stipatus numero, maioribus machinis destitutus, suis veluti commilito semper adstitit; nec loco mouit, quamquam iam plures grandiorum globorum vi ad eius latus occubuissent; nec habitationem suam transtulit, quamquam domum illam iam tertius ab hoste globus perrupisset. Diuinæ eum tegentis prouidentiæ fuit, quòd ab arboris trunco, ad quem acclinatus nonnihil hæserat, recesserit, priusquam ille paulò pòst immissi globi violentiâ prosterneretur. Pari virtute stetit ad Wolfenbitum inter nutantes intrepidus, inter cadentes erectus, inter aperta peri-

ab hoc se agi testatus,

euentu sæpè felici,

nec vacante prodigio,

cula, non loricâ tectus, sed solâ generosæ animæ constantiâ munitus, nec aliorum pro se vno timori, è mediâ tempestate auocanti, obsecutus: *Quid,* aiebat, *capiti meo formidem, quem causa protegit, quem Deus tuetur?* Ausum est tunc è grandinante machinâ ferri frustum ad læuam Archiducis manum allabi, tangere, non percutere, non vulnerare, sed quasi fixo innocente osculo, se profundâ reuerentiâ in terram demisit. Quare inter suos dimanauit fama, tutiorem eum esse, qui volante vndequaque plumbi aut ferri grandine post Serenissimum lateret, quàm qui fortissimis mœnibus tegeretur. Certè eius Aulæ Cancellarius, interrogatus aliquando, cur, vbi in pericula rueret Archidux, ipse eum à tergo sequeretur, respondit: *Quia muro non protegerer firmiore. Sanctum, gratumque Deo Principem æstimo Leopoldum; tot argumentis ac penè prodigijs habeo, quòd nolit eum Deus vulnerari.*

quod plerique censebant, & dicebant palàm;

nominatim LEOPOLDI *Cancellarius,*

Luculentum est, & ab attestantis auctoritate inexpugnabile, Excellentissimi Comitis Bernardi à Martiniz, Bohemiæ supremi Burggrauij, datum elogium. *Audiui,* inquit ipse, *à Suecis hostibus, Serenissimum Archiducem ad VVolffenbitum (quia exercitum non moueri loco, belli ratio exigere videbatur) eâ ipsâ statione, in quam centum & plures maiorum balistarum iactus ceciderunt, intrepidum adeò constitisse, vt nec leui vel corporis vel capitis motu volantia fulmina declinauerit; comitantibus verò, qui timoris quædam signa monstrassent, dixisse: Qui pauidus est, recedat, ne suæ ignauiæ exemplum in intrepidè consistentes transfundat. Vnde & hostes admirati constantiam, inter se aiebant: Aut Angelus est Archidux, qui illic tam immotus consistit, aut eius statua, aut spectrum aliquod eius specie. Ita Deus illum admirabili suâ Prouidentiâ indemnem atque incolumem maioribus necessitatibus conseruauit.*

& Bohemiæ Burggrauius supremus;

imò hostes ipsi.

Patium

Intrepidæ fortitudinis in LEOPOLDO exempla, in clade Lipsiensi,

Parium ad Einbecam periculorum contemptor; grauiorum ad Lipsiam. Iam cominus res agebatur; iam miſcebatur prælium; iam inſtante furore hoſtium, ſiniſtrum cornu frangebatur: ipſe hortari alas, monere medios, vrgere poſtremos, miſceri primis, in ipſâ aciei fronte pugnare; & per ſubſtrata, quà hoſtium, quà ſuorum cadauera, hoc vno de periculo monentibus obſecutus, quòd ſigna quibus facilè proderetur hoſtibus, depoſuerit. Ceterùm qui ſemper aliàs, etiam hac ſtetit in arena imperterritâ generoſitate. Indubia fuiſſet victoria, ſi Ducis exemplo certaſſet miles. Ipſe tamen, licet audacior Suecorum vnus iam propiùs in eius caput breuiorem fiſtulam direxiſſet, non antè exceſſit campo, quàm per aliorum ignauiam euacuatum, ſuæ propè vnius virtuti relictum animaduerteret, & à Comite Leonardo ab Harrach, Supremo ſuæ Aulæ Præfecto, interpoſito Cæſaris nomine & auctoritate, ad ſe ſubducendum periculo admoneretur. Tum verò quod ſuadebat prudentia, ne fortitudo fieret deſperata temeritas, ſe, fractis rebus ad integritatem reuocandis, ſubmouit.

Vidit & Belgium ſtupendæ fortitudinis ac magnanimitatis exempla. Ad Armenteriam abrupta plumbi glande galeri ſpira, oſtendit quid hoſtis vellet, quid Deus nollet. Ad Landracum nec diſcerptus muralis tormenti globo ad latus ſibi aſſiſtentis Marchionis Pallauicini equus Principis animum percelluit, nec frequentiora fulmina militaria immiſſa tentorio, cùm conuocatis Ducibus agenda mandaret, eum nec tantulum commouerunt, niſi vt ijs expeditis propior mœnibus accederet, & per ipſa vitæ diſcrimina loco potiretur. Ad Baſſæam ſua Ducibus communicantem conſilia non diſtraxerunt plures ingentium machinarum globi, qui ſuprà, infrà,

ad Armenteriam, ad Landracum, ad Baſſæam,

circumquaque ferebantur: non terruerunt qui vel plumis pileo sublatis reueriti sunt caput, vel calce ac puluere contusi adiacentis molendini, honoratam faciem asperserunt; quam supremus eius Cameræ Magister Ioannes Adolphus Schwartzenbergicus manu reuerenter absterfit. Ad Cortracum repetitis ictibus traiectum tugurium quod incolebat, solâ stetit Archiducis constantiâ, dum ea pericula non est dignatus suo metu. Vicinus adeò accessit Arci, vt & ipse, & qui circum ipsum instabant operi, loquentes è mœnibus Gallos distinctè audirent; cùm illi dicerent: *En ille est Leopoldus, qui strictum manu gladium gerit.* Paria ad Lendium occurrêre pericula, pari virtute contempta. Septeni ad latera cecidêre, plura exercitus capita occubuêre; cùm paucis ipse à dextro sinistroque latere cingebatur ab hoste, sed fecit virtute viam. Paria viderunt Ipræ, dum maioris globi vi afflatus aër, vicinum Sacerdotem in terram prostrauit, Leopoldo nec oculum mouit. Paria Capella, dum vi coniecti ferri dispersa terra Serenissimum Principem, ac eius latus tenentem Comitem Schwartzenbergicum operuit; & quæ fortè destinabatur in tumulum, cessit in gloriam. Paria Grauelinga adusque suorum propè indignationem, qui cùm non nisi pauido oculo spectarent, eum quotidie inter medias ferri glandes procedentem, tandem quæ acceperant à Rege Catholico ad Fuensaldañam mandata, per eumdem Serenissimo Principi exponi fecerunt: *Regi pluris esse caput Principis, quàm multas vrbes: posse vno ictu rem omnem frangi, cuius reficiendæ spes superesset, si totâ collapsâ conseruaretur Caput.* Cui Princeps magno animo reposuit: *Sine me sic agere, quando aliud non suppetit, quod militibus meis strenuè pugnantibus erogem: habeant saltem exemplum meum, vt pro bono publico, & Regis iure pari fortitudine decertent;*

ad Cortracum,

ad Lendium,

ad Ipras,

ad Capellam,

ad Grauelingam.

Regis in hisce sensus:

& Leopoldi responsum.

certent; pericula mea sint exercitus stipendia. Nec minora Attrebatum: semper vicinus mœnibus, sæpè tentatus machinarum muralium globis, spectauit milites circum se sublatis tibijs, truncatis membris collabentes; ante se impactum terræ globum attolli, & supra caput, citra motum capitis, euolare; quin cum irrumpente in castra Gallo, ipse militibus mixtus eo loco depugnauit, quò vis grauior vrgebat, quò maius periculum ingruebat. Denique omnium periculorum contemptum sibi periclitandi assiduitate comparauit; vt iam inertis animi ratus, sectari tuta, etiam ibi stare gauderet, vbi vel Constantia ipsa trepidaret. *ad Atrebatum.*

Sed & ea sunt fortitudinis argumenta, non lassari militiæ laboribus, non frangi aduersis, non extolli secundis. Quemadmodum enim qui per inertiam saginatur, torpore marcessit; ita qui exercetur laboribus, quodam veluti callo induratur, vt quæ incurrunt aduersa, contemnat; quæ blandiuntur alijs admiranda, despiciat. At difficilis doctrina est laborare; ad quam plerumque minùs euadunt ij, quos natura eminentiore sanguinis loco constituit. Assueti enim dominatui, seruiles manus condemnant ad labores; sed Archiducem, quæ alios à labore deterret, ad omnes eius partes explendas mouit perpulitque Fortuna. Puduit enim non præstare, quæ subiectis agenda imperaret. Quare eos continuatè sustinuit, quibus & robustissimi succumberent. Non contentus quid alij, quibus erat demandata cura, de castrorum constitutione referrent, ipse priusquam tentorium suum ingrederetur, obiuit, spectauit, emendauit: ad progressum, in equo primus; ad quietem, ex equo postremus. Diei opera produxit in noctem, noctis horas adiecit vigilijs; negata refectioni tempora, impendit laboribus. Omnium *LEOPOLDI fortitudo, in laboribus militaribus, quos perdius & pernox supra vel gregarium sustinuit;*

obsidionum partes, stationes, accessus, loricas obire quotidie, erant primus postremusque labor, seu mitior faueret aura, seu ridigâ hieme niues, aut alio anni tempore grauiores pluuias copiosè cælum deuolueret. Ipse in Germaniâ ad Einbecam & Glogauiam; in Belgio ad Armenteriam, Landracum, Rocroyam, Ipras, Dixmudam, Grauelingam, aliasque complures vrbes, per tumentes aquas accessus omnes inambulauit quotidie; & si quando ocrearum aquâ refertarum pondus lassabat, alias nouo labori substituebat. Nocte mediâ stationes omnes obibat; vt, an quisque suo debito satisfaceret, præsens inspiceret. Nec Archiducali felicitate ad suum commodum vsus, sub sudo, rigido pluuioque cælo, in ipsis sæpè niuibus, modico reficiendus somno, lassata membra in nudâ humo, aut substrato solùm pallio, deposuit. Ad Olomucium, Regino-Gradecium, aliasque vrbes, hiemis asperrimæ tolerantiam sibi fecit cum gregario communem. Ad Neoburgum, Hercyniæ siluæ adsitum, in acerrimo frigore, inter continuas Aquilonis tempestates, quibus etiam scribentis sepia gelabatur, non alio vsus foco, quàm qui erat communis gregario, triduum totidemque noctes sustinuit. In iisdem circumuallationum lineis cum suis moratus assiduè, calentem solem, cadentes pluuias, & omnes aëris iniurias tolerauit. Commoditatum suarum oblitus, omnem curam ac solicitudinem ad exercitus sui bonum conuertebat. Somnum suum numquam ita quietum voluit, vt horâ quacumque non pateret accessus, si belli negotia vel mandatum vel responsum postularent. Quæ ego, nondum omnia, solùm attigi, lector expendat attentiùs, & quanti vnius Heroïs labores fuerint per octo ferè in Germaniâ, per nouem in Belgio annos, in tot itinerum molestijs, in tot commissis pugnis,

tam in Belgio,

quàm Germaniâ,

pugnis, in triginta duarum Ciuitatum Arciumque in Belgio, neque numero pauciorum in Germaniâ obsidionibus, sereno animo in computum ducat. Illud sanè pænè omnium Ducum gregariorumque iudicium fuit, vnum Archiducem plus omnibus laborasse. Quo quidem exemplo suo alijs animos sufficiebat, alijs tacitè inertiam exprobrabat; sibi verò grauiores morbos comparauit, quibus pridem succubuisset corpus, nisi maior animi constantia id erexisset: sufficeret singulus, vt quemque alium, etiam fortis animi virum, lecto affigeret; vnà omnes coniurati Serenissimum Archiducem nequidem equo dimouerunt. Rogatus vt ægro corpori indulgeret nonnihil: *Atqui,* inquit, *Austriaci Principes non sibi, sed publico bono nascuntur.* *testimonio publico, ad suorum exemplum, & ægritudinem suam.*

Et facilis quidem laborum tolerantia videri potest, vbi & adminicula suppetunt, & rerum secundarum euentu gustus quidam voluptatis succedit. At vbi vel cum penuriâ luctandum est, vel sperata felicitas collabitur, non cadere animo, sed in suâ immotum æquanimitate consistere, hoc enimuerò non nisi supra hominum sensum, fortis & excelsi animi est argumentum. Multa Serenissimo cesserunt ad gloriam, multa infra votum ceciderunt. Et Cæsaris exercitus moderandos, & gubernandum Belgium deploratissimo vtrobique rerum statu suscepit, quo contra potentissimos hostes, & victoriarum successu tumidos, exercitus tenuis; & magnus, pro tenui tam annonæ quàm omnis apparatûs, defectus erat: eâ tamen animi magnitudine rem est aggressus, quâ is, cui plena rerum omnium militumque abundantia suppeteret. Ad Lipsiam non æquâ vsus fortunâ, æquum retinuit animum; quem fractis rebus tam integrum campo extulit, vt mox redintegrato exercitu hostem Freibergæ *LEOPOLDI fortitudo etiam in aduersis: ad Lipsiam;*

Freibergæ mœnibus, quæ iam vnâ parte occupauerat, feliciter deiecerit. Ita erectus integerque animus fortunæ praua corrigebat, & dura atque aspera ferendi scientiâ emendabat. *in clade Iankouianâ,* Iankouiana pugna absentem Aulam propè consternauerat; solet enim clades vna plurimarum metum incutere. Non prostrauit Serenissimum Archiducem, qui nihil à fortunâ, omnia à Dei Prouidentiâ eodem animo, eodem vultu accipiebat; assuetus, quamcumque res in partem caderet, nec habitum nec frontis compositionem mutare; adeò vt eo ipso tempore rebus iterùm fractis, arma susciperet. Ad Armenteriam cum ipsis elementis pugnandum fuit: *& Lendianâ.* ad Lendium cæsus, Atrebati obsidione depulsus, cùm plurima perdidisset, animi magnitudinem conseruauit; imò adiecit spei, quòd cùm se ea præstitisse sciret, quæ rem humano iudicio librantibus, spem victoriæ certam pollicerentur, non dubitaret Deum, qui hac occasione paternâ manu verberasset, aliâ secundos successus concessurum. Et videri hoc potuit non solatio dictum, sed vaticinio. Nam eodem die ad Duacenas portas collegit dissipatum exercitum, quo vlteriores progressus ferocienti hosti prohibuit: deinde verò ex illâ à Condæo obtentâ victoriâ ij motus in Galliâ exstiterunt, qui Serenissimo Archiduci viam aperuerunt, vt superatis multis vrbibus irrumperet ad ipsas vsque Lutetiæ portas, ad quas & explicata Catholici Regis vexilla visa sunt, & Hispanorum tympana, tubarumque clangor audita, atque in ipsis suburbijs Hispanus miles pro Galliæ Principibus depugnauit. Suspexêre hanc tot aduersorum tolerantiam, non tantùm quos eadem belli sors tangebat, belli Duces ac milites; sed etiam qui procul dissiti, horum actiones librabant: illi, quòd in tantis rerum conuulsionibus nihil mutaretur; isti, quòd nuntijs cladium

cladium litteris nihil vel deiecti, vel diffidentis animi permisceret. Non enumero quæ priuatus tulit aduersa, mortem Patris, Nouercæ, Augusti Nepotis, Augustissimi Fratris, tempore Reipublicæ Christianæ & Austriacæ Familiæ periculosissimo, quas vel præsens spectauit, vel absens accepit eâ heroïci pectoris constantiâ, vt qui consolator accederet, se maius retulisse solatium testaretur. Non recenseo quas æmulationes, quibus orbis plerumque feruet & miscetur; quas, vt in sinistram suspicionem traheretur, machinationes; quæ ad res pro voto, publicoque bono expediendas impedimenta ab ijs sustinuerit, qui animo fortè meliore quàm periculo gloriosis eius conatibus obnitebantur. Satis dixero, nihil vel à fortunâ aduersitatis, vel ab hominum malitiâ repugnantiæ excogitari potuisse, quo vel eius actionum ordo, vel reddendi Deo pensi obligatio, vel humanitatis officia, vel grauiorum negotiorum meditatio, vel ipsa oris vultusque affabilitas perturbaretur. Omnia enim quæ humano sensui in aduersum cadebant, exemplo Ferdinandi II. Patris sui, occasionem virtutis, & constantis in Deum amoris, fixæque in æternam eius prouidentiam fiduciæ, experimenta arbitrabatur.

in aduersis priuatis,

& propriis,

Secunda vrgent blandiùs, & fortiùs stimulant, quàm explorent aduersa; vt faciliùs sit his non frangi, quàm illis non eneruari. Tot victorijs clarus Serenissimus Archidux, tot vrbium expugnationibus inclytus, tam felici Belgij gubernatione spectatus, tantis Cæsarei Regijque amoris testimonijs obrutus, tanto populorum plausu vbique exceptus, affectu detentus, dolore dimissus, semper idem, semperque suus, eodem tenore animi, colore vultûs incessit. Quam gratantium affectus tribuebant gloriam, refundebat in Deum, cuius arbitrio æquè prospe-

Fortitudo LEOPOLDI in prosperis.

ram, ac aduersam stare fortunam toties edicebat. Sed cùm gloriam opprimeret suam, non deerant qui attollerent. Omnium enim sensus, & vox omnium erat, Felices illos, quibus rem Belgij promouit, successus, post Deum vni Leopoldi virtuti bellicæ, sanctimoniæ, inculpatis moribus, calentibusque pro populo suo precibus, esse tribuendos. Magnum proinde illius fortitudini encomium etiam hoc vno adscripseris: *Nec vulnere felicitatis concidit, nec affluxu intumuit.*

CAPVT IV.

Affectus laudabilis in Duces & Milites.

Necessarium vt Belli Imperator bene afficiatur suis militibus,

BEne affici belli-Ducem militibus suis, tam necessarium est, quàm ijsdem imperare. Cessat enim obsequendi facilitas, vbi amorem sustulisti. At amorem nulla probant verborum lenocinia, si desit operis exhibitio.

LEOPOLDVS *affectus fuit suu.*

Vt ergo Serenissimi Archiducis laudabilem & in Duces & in milites suos affectum intelligas, ad operum examen est librandus.

Ea verò sunt, *Heroica generosorum facinora commendare; Sinistros rerum successus neque Ducibus neque militi attribuere:*

Necessitate laborantibus succurrere:

Parsimoniâ sanguinis delectari.

quod re ipsâ testatus,

Nemo Ducum, nemo gregariorum militum suam bello virtutem probauit, qui non ab ipso vel laudem vel promotionem & gradum, vel apud Maiestates Cæsaream Regiamque suam, eamque amplam non retulerit commendationem. Longum esset commemorare, quas ad vtram-

vtramque Maiestatem litteras in Ducum suorum encomia expediuerit: libet tamen heroica quorumdam nomina tangere, vt vel ex commendatione suâ supersit Martialium virorum memoria. Piccolomineum de prudentiâ, experientiâ, animi fortitudine, expeditionum felicitate, ad supremam armorum gubernationem eximijs, de re ad Salafeldiam præclarissimè gestâ: Fernemontium, de recepto Colino: Suysium, de occupatâ Zwikauiâ: Bredam & Nicolàs, de profligato Wittenbergio: Mercium & alios, de virtute ac singulari fortitudine ad Frizlariam exhibitâ: Montecuculum, de industriâ ac celeritate, quâ viam strauit soluendæ obsidioni Brigensi, de occupatis Oppauiâ, Litschaviâ & Eulenburgo: Hannibalem Principem Gonzagam, Comitem Bruay, Baronem de Borniual, aliosque Duces, de singulari virtute in Lipsiensi campo: Comitem de Souches, frequentioribus literis, de vigilantiâ, arte, ingenio, fortitudine & constantiâ, quâ Brunam propugnauit: Brouckium, Garneriumque, de penetratâ ad Cameracum hostium obsidione, compluresque alios apud Cæsarem dilaudauit: Marchionem Caracenam, de circumuallatione Armenteriæ, de occupatâ hostili loricâ: Marchionem Sfondrati, de Furnis, Winocibergâ, Burburgo & Linckâ recuperatis: Principem de Ligne, Beckium, aliosque Duces, de expulso suis stationibus hoste: Fuensaldañam, de re præclarè ad Cortracum gestâ, de recepto S. Venantio: Comitem de Hennin, modò Ducem Bournouuille, & Don Gasparem Bonifaz, de laude in obsidione Atrebatensi comparatâ: Marchionem de Lede, & Principē de Ligne, de obsidione Dunkercanâ: Principem Condæum, de expeditionum per Galliam ductarum felicitate: Comitem de Lignieuille, de fidelitate apud Regem Catholicum

commendatione virtutis.

prædicauit. Complurium aliorum glorioſa nomina adiecissem, ſi omnium litterarum, quas ad vtramque Maieſtatem in ſuorum ampliſſimas commendationes dare conſueuerat, cop a mihi facta fuiſſet.

infortunij excuſatione, Quàm verò promptus in ſuorum laudes fuit, tam fuit ab eorum vituperationibus alienus. Quare, cecidiſſet licet infelicis belli alea, vbi nullus ignauiæ, nullus perfidiæ locus fuit, nullum etiam ſuæ rei colorem cuiuſcumque culpatione quæſiuit. Certus erat laudis, qui rem g ſſiſſet ſtrenuè, tametſi infeliciter. Non enim euentu metiebatur virtutem, ſed conatu: ipsâ vtebatur infelicitate, ad imprimendum calcar virtuti. Quo fiebat, vt ex ipſo caſu ſibi viderentur ſurgere feliciores. Quod ſi verò, etiam infelicitatis euentui anſam præbuiſſet cuiuſquam ignauia, non vrgente ſupremâ neceſſitate, etiam tum mitioris animi argumenta non acceptabat tantùm, ſed quærebat, ſuppeditabatque, vt eum ipſum experirentur aduocatum, *etiam mitigatione culpæ;* quem iudicem metuebant: quod ſolenne in ore habebat frequenter, *Afflicto non eſſe ſuperaddendam afflictionem*, id frequentiùs opere ipſo eſt conteſtatus, quando etiam reis ad militaris iuſtitiæ tribunal vocatis, ſeueritatem illius ſuâ clementiâ abſterſit. Non licet hîc eos recenſere, qui gratiam inuenerunt, vbi pœnam formidabant; ne dum beneuolentiam Principis commendamus, in etiamnum fortè ſuperſtites, & ad dignitatem ſubuectos, occultas ſatyras ſparſiſſe arguamur. Illi tamen ipſi viua ſunt teſtimonia, ſi quem trepidum ad ſuos affatus admiſiſſet Princeps, numquam hunc illum ſine ingeſto animi ſolatio dimiſiſſe.

captiuorũ apud hoſtes, vel apud ſe, ſolatio, Nemo in manus hoſtium deuenit, cui non molliorem reddiderit captiuitatem, vel ære ſubmiſſo, vel impetratâ litteris ab hoſte humanitate, vel eorum, qui ex hoſtili exer-

exercitu in suam potestatem deuenissent, benignâ tractatione; quâ violentius trahebatur hostis ad parem vicem rependendam. Pudet enim etiam hostem esse inhumanum, vbi tantam humanitatem æmuli experitur. Quin & libertati restituendis laborauit, seu ære, seu permutatione. Huius ei solicitudinis impendêre elogium Hatzfeldius, Enkefortius, Wertius, Montecuculus, Princeps de Ligne, Comes sancti Amoris, alijque complures, & gregariorum militum propè exercitus. Si quos miseros fecisset casus, non ille miseram patiebatur ire virtutem. Poterant Duces castrensi supellectile, curribus, equis, & ære, in duriore aliquo suæ virtutis experimento spoliari; at certam retinere spem, sibi, viuo Leopoldo, nihil defuturum: qui enim affectum cum ijs diuiserat Archidux, rebus quoque diuidendis non parcebat. Et cessit quandoque iactura perdentis in lucrum, dum ei ereptorum exiguitas meliorum impendio est reparata. Indigum, quà poterat, neminem patiebatur; siue quòd grande malum sit necessitas, quæ integerrimos sæpè corrumpit; siue quòd ingenito affectu ad benefaciendum traheretur. Oblata sibi ab vrbibus munera fecit indigentiæ militum communia: suam ipsius supellectilem horum necessitati expendit: quaquà procederet, vt esset quò occurrentium egestati subueniret, promptam à sui cubiculi adiutore pecuniam semper deferri mandauit. Quibus autem vel natalium conditio, vel dignitatis gradus mendicandi verecundiam fecisset, vt non expectaret rogari, sponte ipse occurrebat; & ne ruborem accipienti eliceret, alio nomine suggerebat. Iacebat ad Rosenbergæ fossam gregarius frigore & inediâ propè exanimis: videri à Serenissimo Principe, fuit eius vita & felicitas; dicto enim citius clementissimus Archidux suo equo desilijt, subleuari,

Spoliatorū subsidio,

& egentiū,

uari, foueri, foco, cibo, pecuniâ refici iussit, ac suo ipse alloquio recreauit, non sine singulari animi sui gustu, quem tegere non valebat, quoties miseriæ alienæ subueniendi aliqua sese præberet occasio.

maximè in morbo, Si quos morbi deposuissent, vel recepta vulnera afflixissent, nulla tanti pretij medicina fuit, quam, si prostaret, vel sua suppeditaret pharmacopæa, exhiberi non mandaret. Sed potius & efficacius omnibus medicamentum videbatur, humanitas Principis, suâ præsentiâ depositos inuisentis. Nullus illi vilis, cui omnes faciebat pretiosos affectus, quo veluti pater filios complectebatur. Nullus horrori locus, aut loci pædor, quem subire dedignaretur, cui honestatem gratiamque faciebat virtus decumbentis. Pro gregario milite tantò illi impensior cura, quantò solet huic esse familiarior & domestica magis egestas, & sanitatis adminicula rariora. Igitur vicinas vrbes monebat litteris, vt vel Magistratus liberalitate, vel submittendo à se ære, infirmorum valetudo curaretur. Episcopos & Religiosos requirebat, vt stipe à pijs animis corrogatâ, languentium ac sauciatorum necessitati subuenirent. In castris propria erigebat ægrorum tentoria, in quibus aduersus aëris inclementiam fouerentur, dum ad nosocomia transmittendi adesset occasio: de ære, de victu, de pharmacis prouidebat: à nosocomij præfecto, à medicis, à sacerdotibus castrensibus, de cuiusque valetudine, morbi statu, periculo inquirebat; num de vitæ, num de animæ necessarijs sufficienter singulis prouisum: sæpè horum relatione non contentus, cubicularium suum mittebat ad singulos, vt certior redderetur. Si qui in accessibus vrbium ex vulnere concidissent, & se vel gemitu vel clamore prodidissent, illicò præsentem habebant Principem & adiu-

adiutorem, & consolatorem. Plures quadragenis vno tempore in Hassiâ sauciati, Principis iussu omnes ad tutas domos delati, omnes ab eo visitati, omnibus & solatium & auxilium impensum. Idem affectus in suos spectatus ad Wolffenbitum, idem ad Rocroyam impensus; idem ad Capellam, vbi cùm Fuensaldaña Principis imperio, de suppeditando vulneratis pecuniæ subsidio pareri non posse, ob deductum ad angustias ærarium, retulisset, reposuit benignissimus Princeps, *Non posse nec debere auxilio destitui milites, qui pro Regis patriæque emolumento suum sanguinem profunderent: si ærario desit pecunia, aliunde petendam*: moxque iussit à suo œconomo liberaliter subministrari, præoptans ipse suis necessitatibus suorum incommoda subleuare. Quibus tam eximijs sui in milites amoris documentis, vel æquauit, vel excessit Germanici elogium, cui erat familiare (Tacit. lib. 1. Ann.) *Circuire saucios, facta singulorum expendere, vulnera comitate lenire, nummis medelam fouere; alium spe, alium gloriâ, cunctos colloquio & curâ, sibique & prælio firmare.*

Quin ad mortuos optimi Principis se protendit affectus; qui cùm vitam eorum non posset redimere, cineres honorauit. Marchionibus Sfondrati & Caretto inferias celebrauit: Ephebo suo à latere ablato elogium typis vulgauit: Hispanis duobus in æde summâ Auesnensi monumentum exstruxit, & ipse epitaphium posuit, funera quàm potuit celeberrimo apparatu curauit. Quanta verò transmissarum per vulnera ad piaculares flammas animarum fuerit cura, libet ex adiuncto eius decreto intelligere: *Cùm in castris abundent pericula, quibus gregarius præsertim miles quotidie exponitur, nec morienti Ecclesiæ præsidia semper adhiberi possint; paucique sint qui egentibus impendant suffragia: exigit non solùm Christianæ pietatis &* *chari-*

ac præsertim morte,

& à morte, Decreto edito pro refrigerio animarũ:

charitatis affectus, sed etiam debitum; ut qui in Regis obsequio pro communi salute, ac defensione patriæ occubuére, communibus etiam patriæ suffragijs adiuuentur, ut aliqua saltem ratione illis, dum superstitum opem implorant, succurratur. Itaque primò unusquisque Episcopus siue Ordinarius in suâ Diœcesi commendabit singulis urbibus & oppidis suæ iurisdictioni subiectis, ut, dimissis ad hiberna militibus, quotannis fiat una Missa solemnis pro defunctis in bello, ad quam superstites milites omnes inuitentur. Secundò, Curabitur, ut in ipsis castris instituatur pro ijsdem singulis mensibus una Communio generalis, ad quam inuitentur à Capellanis castrensibus omnes militiæ Duces, Colonelli, alijque Officiales & milites. Tertiò, Vt in Ecclesijs Cathedralibus, Collegiatis, ac Religiosorum Ordinum, ubi quotidie plura Sacra celebrari consueuerunt, singulis per annum hebdomadibus, tam domi quàm foris, dicatur pro illis una Missa priuata, eaque in altari aliquo priuilegiato, si adsit; sin, in alio quocumque. Quartò, Vt Concionatores & Cathechistæ post concionem, meditationem & cathechesim, commendent suis auditoribus milites in Belgio defunctos, siue ij gladio, siue morbo aliquo, siue fame fuerint è uiuis sublati. Hac enim ratione defuncti milites adiuti, pacemque æternam consecuti, exorabunt apud Deum superstitibus uictoriam, pacemque temporalem, tot precibus uotisque bonorum omnium expetitam. Quintò, Denique ut decretum hoc imprimatur uarijs linguis, Hispanicâ, Gallicâ, Germanicâ, & Flandricâ, distribuaturque militibus, ut ij, uisâ tam diligenti curâ suæ salutis, magis ad pugnandum ac decertandum contra hostem, pro felici statu uniuersæ patriæ, animentur.

Impenso etiam are in hoc, & curâ suâ. Nec minus fecit quàm mandauit. Multa imperialium nummorum millia in egenorum sinus coniecit: à Religiosis vtriusque sexus preces poposcit: sæpè complura Mis-

Missarum millia constituit, quæ defunctorum animabus solatio venirent. Eorum qui in Lipsiensi clade ceciderant, cùm vltra sepulturam adesse non posset corporibus, animis profuit, censuitque cum Heroë Machabæo debitum strenuo militi stipendium vltimum, quod seruire defunctorum quieti posset, & vitæ felici in æternum alendæ. Itaque illis per solennes Pragæ exequias parentauit: ad eas iuuandas precibus per concionatorem suum excitari omnes voluit, atque ipse exemplo præiuit suo, & suorum Ducum, quibuscum cùm solemniter fieret pro defunctis, preces iunxit suas.

Ab his voce publicâ commendatus. Quo demum publica vox omnium sibi gratulantium percrebuit, se in Serenissimo Leopoldo non solùm benignum Principem, aut beneuolum Gubernatorem nactos esse; sed etiam amantissimum patrem, à quo filiorum instar victum & amictum acciperent, solatium in morbis, leuamen in egestate, medelam vulnerum, præmium meritorum in vitâ, honorem post mortem, ac animæ ad piaculares flammas delapsæ refrigerium.

CAPVT V.

Reciprocus in eum affectus Belli Ducum & militum.

Amor omnium reciprocus in LEOPOLDVM; EX iis quæ superiore capite allata sunt, facilè constare potest, ipsos quoque in Serenissimum Principem Belli-Duces & gregarios milites singulari animi inclinatione propensos fuisse. Est enim proprium ac ferè vnicum amoris pretium, amor: qui si à pari impenditur, amatum trahit; si à maiore, omnino constringit. Saxa fuisse dicas, si non amassent totius orbis amoribus dignissimum Archiducem, siue Duces, siue milites. Illis nec

Archiducis præſentia derogabat auctoritatem, ſed addebat reuerentiæ: etiam præſente eo, pro ſuo quiſque gradu imperare ſe ſciebant; & quæ abſente ægriùs extorquebantur obſequia, præſente, ſpontaneo quodam impetu fluebant.

ad obſequium, Certatim conuolabant ad imperia excipienda, & quiſque grauiorum ambitione tenebatur; quorum difficultates abſtergebat ille, quo in eum ferebantur, affectus. Ipſos præoccupare nutus, omnium erat ſtudium; quòd puderet non præſtare, quidquid tacito animo eum velle ſuſpicarentur. Qui enim ſentiebant ſua tantoperè merita æſtimari, foueri vulnera, amari virtutem, pro eius arbitrio vitam & ſanguinem paciſci, dulce & decorum arbitrabantur.

Hinc abeuntem ex Germaniâ in Belgium omnes omnium affectus ſunt proſecuti. Feliciſſimos ſeſe rati ſunt, non citra aliorum inuidiam, quibus ea fortuna contigit, vt vel comitari poſſent, vel ſequi. *ad ſequelam,* Ipſi etiam Imperij Principes, Haſſus, Wirtenbergicus, Badenſis, Sulzbacenſis, Homburgenſis, aliique quam plurimi, cùm inſtaurando in Belgio exercitui belli Capita poſtularentur, illecti famâ tam amabilis Principis, ſeſe ſpontè obtulerunt. Penetrarat ex Belgio Norinbergam conſtans fama communis illius affectus, quo miles omnis proſequebatur Archiducem, eo ipſo tempore, quo Carolus Guſtauus Comes Palatinus, deinde Sueciæ Rex, & nomine Cæſaris Piccolomineus, pacta initæ pacis vrgenda aſſumpſerant: & tum nemo Capitum, nemo gregariorum fuit, qui in partem felicitatis non traheret, poſſe ſub tanto belli Imperatore militare.

ad defenſionem, Erant, qui vt vitam eius toties periclitantem tuerentur, nullum ſuæ pretium appendebant: qui diſcriminibus obiectos

obiectos circumuallationum ambitus obeuntem eo nomine comitabantur, vt suis periculis illius salutem conseruarent, ac sua corpora scutum volantibus globis opponerent, ne quo fortè Serenissimus Archidux sauciaretur. Quam ille sui ipsius curam deposuerat, multi pro vno assumebant. Quod suis precibus non euincebant, auctoritate Regiâ impetrare laborarunt, vt tam amabile caput periculorum aditu prohiberetur. Cumque vel sic vota sua non obtinerent, se exercitum dimoturos pietatis studio, minabantur; quòd huius culpæ facilior foret apud Regem excusatio, quàm Serenissimi Archiducis in discrimen admissi.

ad dolorem in abitu supremum.

Abeuntem ex Belgio comitatæ sunt, & longo tempore insecutæ Ducum lacrymæ, quæ adeò copiosæ ex valedicentium oculis in basiatas Principis manus defluebant, vt & ipse amantissimus Princeps cum suis coërcendis luctaretur. Qui fruiti sunt præsente cum voluptate, numquam meminerunt absentis sine dolore. Et quamquam inuidiosa sit antecessoris commendatio in auribus successoris, præualebat tamen sincerus affectus, vt periculum vel non aduerterent, vel non æstimarent.

etiam gregariorum,

Gregariorum affectum, quem plerumque in vilioribus animis gignit vtilitas, nouo exemplo comparauit honestas. Cùm viderent, quod in Theodosio laudauit Pacatus: Quod omnium castrensium munerum numeros primus obiret, locum bello anteëaperet, speculatum egrederetur, castra disponeret, in prælium primus iret, prælio postremus excederet, dux esset consilio, miles exemplo; quem reuereri oportebat, etiam amare cœperunt. Habet enim, nescio quid blandissimæ violentiæ, ad catenandos affectus excelsa dignitas, quoties se ad inferiorem sortem studiorum communione demittit.

Quod ab hominibus euinci non posse existimabat Poëta, vt *in vnâ sede morarentur maiestas & amor*, inuidendo prioribus sæculis documento, exhibuerunt Archiducis milites, qui ita iunxerunt vtrumque, vt nihil derogaret reuerentiæ amor, nihil amori reuerentia. Quare cùm apud extraneos amplissimis titulis commemorationem Archiducis honorarent, in mutuo tamen inter se commercio, quod tenerum suauemque amorem exprimeret, *nostrum Leopoldum* nominabant: euicerat enim hoc amantissimus Princeps, quòd cum illis inediam, cum illis ferret sitim; quòd in meditatione campestri militaribus turmis imperatorium puluerem sudoremque misceret; vt nihil à ceteris, nisi robore & præstantiâ differret: quòd arduis instaret & actor & laudator; agentes rem inuitaret muneribus, vrgeret hortatibus, moueret laude, impelleret exemplo, & per omnia in exercitûs Imperatore exhiberet commilitonem. Hinc nulla grauior expeditio, nulla difficilior obsidio à Serenissimo suscepta, quam non alacer miles ijs vocibus prosequeretur: *Eamus & nos. & moriamur pro Deo, Rege, & Archiduce nostro.* Et sanè, nisi miraculo malis, tanto affectui tribuendum est, quòd quando eâ temporum difficultate, quâ succidebatur belli neruus, deerant stipendia militi, angusta ac propè nulla suppetebat annona (quæ primæ sunt seditionum causæ) nihil tamen vmquam ausa sit mercenarij militis insolentia, nullum ex lassitudine armorum fastidium, nulla ex egestate turbatio, nulla ex non persoluto stipendio seditio. Omnia dicam compendio: Ipse Augustissimus Imperator Ferdinandus III. eum amorem militum erga Serenissimum Principem tanti fecit, vt eum etiam hoc nomine à belli gubernatione non dimiserit, quòd *totius exercitus amorem animosque ita sibi comparauerit,*

testante hoc FERDINANDO III.

rauerit, vt suâ vlteriore præsentiâ, fideliq́ue solicitudine non absque graui sensu priuari possent, vnde etiam inposterum omnis vlterior secundus & felix progressus meritò sit sperandus.

CAPVT VI.

Per ipsa arma, studium Pacis.

QVemadmodum in validioribus corporis morbis non deuenitur ad ferrum, nisi clementiora medicorum remedia malignitas respuat; ita bonus Princeps, tamquam magni corporis Reipublicæ medicus, nec bella suscipit, dum alia integritatis seruandæ spes superest, nec in ipso bellorum processu aliò respicit, quàm ad solidæ Pacis restitutionem. Sicut enim barbaræ crudelitatis quoddam est genus, in arma ruere, vt sanguinem fundas: ita magnæ dementiæ est argumentum, cùm pace frui possis citra vulnera, hanc nolle, nisi per cædes & funera, per viduatas habitatoribus prouincias, per incendia, & stantium ciuitatum ruinas. *Præ bello optanda Pax, vel quærenda bello.*

Atque hæc vrgentissima fuit Serenissimo Archiduci ratio, quòd cùm naturæ genio, & innato tranquillitatis amore magis semper ad pacem propenderet, passus sit tamen sibi à Ferdinando III. persuaderi, vt suorum exercituum gubernationem susciperet; quâque ipse ad summum Pontificem allegatâ, veniam petijt, suam tantisper præsentiam Ecclesijs subtrahendi, vt posset Patriæ, tot bellorum calamitatibus oppressæ, & Ecclesiæ in tot miseriarum incendijs suspiranti subuenire, ac sumptis armis in publicam Europæ pacem seruire. Neque fuisse hoc splendidum potiùs obtinendæ licentiæ prætextum, quàm sincerum animi decretum, quæ deinde tam in Germa- *LEOPOLDVS præoptauit, vel quæsiuit,*

niâ quàm in Belgio, inter ipsa arma, pro euincendâ stabiliendâque pace egit, attestantur. Exstant complures, quas ad Cæsarem Regemque Catholicum dedit, litteræ, quibus eo calore Aduocatum egit ineundæ pacis, vt nisi tot superatis difficultatibus, tot tamque manifestis proprij capitis periculis suam orbi magnanimitatem probasset, meritò inter timidos recenseri potuisset. Quam Serenissimi Archiducis pronæ ad mitiora voluntatis inclinationem ita Bannerius perspectam habuit, vt eam se dolo in abusum trahere posse existimauerit. Pacis enim conditiones obtulit, per quas generalem deinde amnistiam impetraret: quam fraudem nisi cautâ prudentiâ penetrasset, facilè pacis amantissimus Archidux admisisset.

datis ad Cæsarem, & Regem litteris,

Meliorem subinde per secundos, quos habuit, rerum successus desideratæ paci ianuam se aperuisse credebat. Quare Augustissimo Fratri auctor fuit, vt is Ratisbonam se ad Germanorum Principum Concilium conferret; quòd arbitraretur, huius præsentiâ suum etiam commune Europæ votum promouendum: quamquam id per hostis insolentiam impeditum fuerit, qui ausus fuit gelidâ hieme superato per glaciem Danubio, congregatos Ratisbonæ cum Cæsare Principes terrere, & vrbem, licet damno suo, quod plerumque temeritatem consequitur, tentare.

rogato Cæsare ad Concilium super Pace conuocandum:

Nec aliud secundæ armorum expeditionis, volente Cæsare ab Archiduce susceptæ, fuisse intentum, satis probant litteræ, quas ad Patres Societatis IESV, commodùm eo tempore ad sui Ordinis Comitia Congregatos, expediuit, quas hîc apponendas iudicaui.

litteris ad Patres Soc. IESV Romæ congregatos.

Leopoldus Guilielmus, Dei gratiâ Archidux Austriæ, &c. Sac. Cæs. M. Exercituum Generalissimus.

Venerabiles, Religiosi, sincerè dilecti, &c. Posteaquam nobis innotuit, Patres Societatis IESV *ex vniuersâ Europâ Romam vocari*

vocari ad electionem noui Præpositi Generalis, atque in eum finem ex singulis ipsorum Prouincijs aliquos delectos eà in vrbe sub exitum sequentis mensis congregandos; pro singulari affectu, quem erga Venerabilem Societatem vestram gerimus, nostrarum partium esse duximus, inprimis à Deo precari vniuersæ Patrum Congregationi plurimam salutem, præsentemque opem ad inchoandum hoc opus, atque eligendum huiusmodi Caput Ordinis, sub quo non solùm Societas ipsa in suo primæuo flore conseruetur; verùm etiam ipsa Ecclesia & Religio Catholica ea capiat incrementa, vt meritò gaudeat tali se prole fecundam. Denique, cùm nullo spiritu vindictæ, aut rerum alienarum cupidine, sed zelo tantùm gloriæ Dei, Iustitiæque, ac publicæ tranquillitatis amore denuò sumpserimus arma, quibus ante triennium omnino valedixeramus, illud vnicè cupimus commendatum omnibus Patribus isthic in Deo congregatis, vt suis sanctissimis Sacrificijs & precibus hanc nostram piam intentionem promoueant apud Deum; & singuli posteà ad propria reuersi, per se suosque socios, tam publicè prædicando, quàm priuatim agendo, studeant mouere corda Principum ac populorum, ad amplectendam Pacem vniuersalem per totam Europam, quam non absque dolore nostro cernimus tot tamque diuturnis bellorum incendijs vastari, cum incredibili effusione Christiani sanguinis, tantâque sanctæ Religionis nostræ perturbatione ac imminutione, vt meritò facti simus ludibrio sectæ Ottomannicæ, ceterisque omnibus à Fide nostrâ alienis. Hæc porrò non ideò scribimus, quasi dubium aliquod nobis veniat de ardentissimo zelo, quo Societas ex proprio suo Instituto fertur ad promouendam vbique Gloriam Dei, salutem animarum, adque desideratam Ecclesiæ Pacem procurandam; sed vt nostram quoque hac in parte mentem faciamus testatam, &c. Ebringæ ex castris nostris 31. Octob. 1645.

Interim

Interim tamen, cùm pacem haberet voluntas, bello eum detinuit necessitas: donec à Rege Catholico in salutem Belgij postulatus, quam in Germaniâ fundauerat pacem, alijs conficiendam reliquit, & ad eamdem per arma circumferendam, quò vocabat Regis desiderium, concessit. Nec priùs aggressus est negotium belli quàm pacis. Impediebantur Monasterij Tractatus Pacis: huius amantiores Batauorum Legati, rerum suarum satagebant. Separatum igitur cum Hispano Tractatum iniuerunt, eumque publico instrumento muniuerunt. Vt id euerteretur, laborabatur Hagæ Comitis apud Status Generales: nec minùs, vt seruaretur, studuit Serenissimus Archidux, qui illicò Philippo le Roy cum Generalibus Belgij Ordinibus in fauorem Pacis transigendi concludendique plenam fecit potestatem his, quas subiungo, litteris auctoritatis.

Primâ in Belgio de Pace curâ,

cum Fœderatis Prouincijs,

Cùm Pacis tractatio inter Regem, Dominum nostrum, ab vnâ, & Fœderati Belgij Præpotentes DD. Ordines Generales ab alterâ parte, Monasterij eo vsque promota deprehendatur, quemadmodum ex Tractatu eâ de re instituto, atque à Plenipotentiarijs eorumdem subsignato liquet; atque ad salutem securitatemque non tantùm Belgij Prouinciarum, aliarumque finitimarum; verùm etiam Orbis Christiani faciat, tam bonum sanctumque opus sub finem impletionis neutiquam impediri, aut quacumque tandem de causâ produci, aut prætextu, maximè autem hostilitatis, quæ intereà vtrimque exerceri posset. Nos itaque omnia conferre volentes, quæ à Maiestate suâ, nobisve expectari aut desiderari possent, freti personâ, fidelitate, prouidâ animi circumspectione, & in rebus gerendis experientiâ D. Philippi le Roy, D. in Rauels, Consiliarij & Graphiarij bonorum atque Ærarij Maiestatis suæ, Tributorum à Gallis exsoluendorum Curatoris supremi, &c. ipsum deputauimus, ac per præsentes deputamus, omnimodam ac plenariam potestatem

potestatem dando ac concedendo, cum supradictis DD. Ordinibus Generalibus inter Maiestatem suam Tractatum Induciarum terrâ marique contrahendi, concludendi, ac confirmandi ad id tempus, eâque formâ, quæ ipsi commodissima videbitur, Nosque, si præsentes adessemus, contrahere, concludere ac confirmare ipsi possemus. Omnia denique transigendi, quæ conclusioni ac confirmationi Induciarum vllo modo inseruire poterunt, licet hisce tam dilucidè expressa non essent: bonâ fide atque verbo Principe digno spondentes ac promittentes, quæcumque à dicto D. Le Roy in hoc negotio acta, transacta & confirmata fuerint, ea nos grata, rata firmaque habituros, atque inuiolabiliter obseruaturos; quin etiam, si opus sit, eadem hæc vt à Rege confirmentur & ratihabeantur, curaturos esse. Bruxellis 4. Maij. 1647.

Quibus tandem litteris, & sanctis pollicitationibus effectum est, vt primo sequentis anni mense tantoperè à Serenissimo Archiduce desiderata Pax, Monasterij signata, à Statibus Aprili confirmata, ac demum Maio mense publicata fuerit. *& transactâ;*

Nec aliud egit, cùm arma Galliæ intulit, & ad ipsa Parisiorum suburbia promouit. Diffidebant Mazarinus & Parlamentum: & hi & ille Archiducem auxilio inuocabant. Adhæsit Parlamento, quòd per hos certiùs pacem promotam iri existimaret. Quam in rem ad Parlamentum misit F. Iosephum de Illescas & Arnolfini, qui quid egerit, hisce retulit: *Vbi ante Parlamentum constiti, exhibitis Auctoritatis litteris, in hunc sensum locutus sum: Non dubitare me, aduentum meum DD. congregatis non futurum ingratum, vel eo nomine, quòd à Serenitate suâ Pacem, ab Orbe Christiano tantoperè desideratam, vtriusque Coronæ prosperitati tam necessariam, adferrem. Potuisse quidem iam ante biennium Cardinalem Mazarinum; noluisse tamen etiam ijs* *tentatâ etiam cum Gallis, quamquam bello, & legatione ad Parlamentum Parisinum, 1649.*

pactis, quæ plurimum Galliæ fauissent, optatam pacem concludere. Obtulisse deinde eum non graues Hispaniæ conditiones, quibus ad illam induceret: Quia tamen addebat, primarium suum finem esse, per coniunctas sibi Hispaniæ vires castigare (vt aiebat) rebelles Parlamentarios, & Parisienses subigere, noluisse Regem Catholicum, clementissimum meum Dominum, eam pacem amplecti; quòd crederet neque tutum, neque honestum, aut sibi honorificum esse, eam occasionem arripere, & ad oppressionem tam Augusti Parlamenti, ac totius Regni Metropolis concurrere, partibusque hominis condemnati, & Regis ac Status inimici, per Manifestum à Parlamento editum declarati, accedere. Cùm igitur Rex, meus Dominus, ex præsente occasione fructum alium non quærat, quàm iustæ stabilisque pacis, misßum me ad Parlamentarios DD. quos stare non dubitet pro bono Christianissimi Regis, eiusque Status, apud quos potissimùm legitima eius auctoritas residet, vt pacis offerrem arbitrium, attestarerque, Regem Dominum meum libenter eorum iudicio consensurum. Quòd si tamen iudices esse detrectent, relinqui eorum beneplacito, vt de Corpore suo certos, seu ad extraneum locum, seu in ipsâ vrbe deputent, quò & Rex meus missurus sit suos quoque deputatos, ad tractandam & concludendam æquam stabilemque pacem, quâ vtriusque Coronæ constans tranquillitas firmetur. Hoc quoque tractatu comprehendendum Lotharingiæ Ducem, qui nec easdem sibi à Cardinali oblatas conditiones admittere voluit, nec quidquam ad Parlamenti ac ciuitatis Parisiensis oppressionem conferre, sed constans semper inuiolatâ fide Hispaniæ partibus adhæsit. Adieci, Hoc ipso tempore congregari ad huius Regni confinia propè viginti militum millia; fide tamen datâ, quòd tametsi præsens tempus, quo præsidia pluribus in locis destituta sunt milite, multa sponderet, nihil tamen in Christianissimi Regis ditiones sint tentatura. Obtuli deinde nomine Regis mei easdem

eaſdem copias in conſeruationem Parlamenti, quibus ad libitum, etiam, ſi placet, à Ducibus Gallis, à ſeque dependentibus, gubernandis vteretur (cum eâ tamen cautelâ, quæ metum omnem excluderet) in bonum Parlamenti ſtrenuè operaturis. Quòd ſi verò Parlamentum ijs pro ſui defenſione non indigeret, ſpopondi Regis mei nomine, eas ad confinia detinendas, vt dum de pace tractabitur, hoſtile nihil aggrediantur.

Nullus exinde annus cogitatione Pacis vacauit; quamquam nullus inſignes etiam victorias non numerauerit: vt viſus ſit Archidux palmam non amare, cui non adnaſceretur oliua. Hinc tot ad Catholicum Regem litteris immixtum ſemper amatæ pacis deſiderium, eiuſque obtinendæ rationes allegatæ: iam, *eam eſſe vnicam certiſſimamque rationem ſtabiliendi Monarchiæ potentiam*: iam, *eius indipiſcendæ facilem affulgere occaſionem, quam turbatæ Galliæ inteſtini motus aperirent*: aliàs, *nullum ex domeſticis Franciæ conuulſionibus optabilius emolumentum ſperari poſſe, quàm pacis maturationem*. Donec tandem ad eamdem ſuo arbitrio, ſed Regis nomine concludendam firmandamque plenam poteſtatem obtinuit. Huc reſpexit, quando Principi Condæo auxiliares copias ſubminiſtrauit; quando ad Cardinalem Mazarinum Regis Reginæque gratiæ reſtitutum, & ex ditionibus Electoris Colonienſis redeuntem miſit D. Antonium Pimentelium, vt Sedani de amatæ pacis negotio cum eo interloqueretur: huc denique direxit conſilia, quando Lotharingici militis inſolentia in Colonienſem & Leodienſem agrum exercita, ita tranquillitatem publicam turbauerat, vt iam res in apertum bellum eruptura videretur, niſi pacifici Principis vigilantia præuertiſſet incendium, & per ſubmiſſos Legatos illos turbarum motus compoſuiſſet; vt meritò credas Leopoldum eius plurimum habuiſſe, qui cùm *Deus ſit Pacis*, & non

& litteris ad Regem,

& conatu vario,

non dissensionis, omnes penè Archiducis cogitationes Pacis studiò obligauit.

Sed singularia sunt argumenta, quæ Serenissimus Princeps suâ manu conscripsit 1655. & Regi Catholico exponenda D. Gaspari Bonifacio commisit, quæ ad pacifici animi declarationem subnectere libet: *Pacis ineundæ necessitatem imponunt & Dei honor, & Status ratio. Honor quidem Dei, quia res vertitur de Orthodoxâ Religione, quæ iam in magnâ Europæ parte discrimen subire videtur. Patet oculis Hæreticorum concordia, sub Cromuello & Sueciæ Rege congregatorum, quorum moliminibus res ad Religionis negotium deuoluetur. Id si eueniat, cum pauco illo, qui superest, Catholicorum numero Cæsar non erit ferendo bello. Peribunt ergo hereditariæ Prouinciæ, & cum illis vera Fides collabetur. Ipsa quæ inter Hæreticos intercedit vnio, docet quanta sit necessitas, vt Catholici Principes, ac præsertim Hispaniæ Franciæque Reges, qui sunt prima Catholicæ Religionis propugnacula, contra eosdem conspirent. Et Status ratio idem persuadet. Nam si ad ipsa vsque Romæ exordia regrediamur memoriâ, numquam inter Reipublicæ emolumenta adnumeratum est, duo eodem tempore aut tria bella suscipere, quibus equidem hodie Hispania inuoluitur, quæ cum Lusitaniæ, Angliæ, Galliæque Regibus vno tempore bellum miscet. Quo fit, quod satis experimur, vt dum multa aguntur, nullum pro dignitate sustineatur. Vnde vt resistatur potentius vni, componendum est cum reliquis. Cùm Angliâ non patet via; igitur cum Franciæ Rege, vtpote Catholico Principe, res feruentiùs est vrgenda; quo in vnionem pertracto, validiùs resistetur Hæreticis, & spes affulget non modica nuperam Regni iacturam reparandi. Quod si ergo Sua Maiestas, & Dominus Aloysius de Haro pacem velint, est expedita.*

aliisque literis ad Regem.

Omitto alia; quæ quia magis arcana Regnorum mysteria

ria tangunt, silentio sunt premenda. Concludit autem his verbis, quæ ad præsens institutum faciunt: *Demum obsecro, non existimet Sua Maiestas, me innati genij propensione magis ad ineundam pacem inclinari, quàm studio boni publici promouendi, & Fidei Catholicæ, Monarchiæque Hispaniæ, ac totius nostræ Familiæ conseruandæ. Quod enim me attinet, vbi ad meos Episcopatus redeundi veniam (quam spero) obtinuero, siue in his Regionibus pace gaudeant populi, siue bella misceantur, licebit mihi quiete animi tranquillâ frui. Si tamen censuerit Sua Maiestas, me (quod desiderare videtur Cardinalis Mazarinus) ad publicum hoc & Reipublicæ Christianæ tam salutare negotium conferre quid posse, non tantùm non detrecto operam, sed in partem felicitatis reponam, potuisse me ad mandatum Suæ Maiestatis in commune hoc totius Orbis emolumentum collaborare.* Hic fuit semper æquè ad arma fortis, ac ad tranquillitatem compositi Serenissimi Principis animus, quo, licet virtute vicerit, non nisi tamen necessitate pugnauit; quòd non ignoraret, vnâ pace, veluti compendio, omnem Regnorum felicitatem contineri. Quare cum Tiberio Imperatore tunc semper lætior, cùm pacem sapientiâ firmasset, quàm si eam bello per acies confecisset, quòd bello parta, semper appendicem trahat calamitatem; quæ per pacta sancitur, & Regnorum vbertatem conseruet, & eos qui eâ felicitate fruantur.

PARS TERTIA.

LEOPOLDVS EPISCOPVS.


VENIET
AD TEMPLVM SVVM
ANGELVS
Malach. III
MAGNA
ERIT GLORIA
DOMVS ISTIVS
Aggei II.

PARS TERTIA.

LEOPOLDVS EPISCOPVS.

Spectatum in Sago, in Togâ exhibeo LEOPOLDVM GVILIELMVM, *Archiepiscopum, & Episcopum, qui raro miraculo, vel sub loricâ militis, Sacerdotis Religionem texit, vel sub Antistitis pallio, belli Imperatoris fortitudinem circumtulit. Antequam tamen ad eximias Infulati Principis virtutes enumerandas, suisq; coloribus depingendas accedam, prius, quos, quo ordine, quo tempore, Archiepiscopatus, Episcopatus adierit, quo fructu singulos administrauerit, quibus causis quosdam dimiserit, per pauca quædam Prolegomena expendam; quæ ipsa non modicum seruient ad exprimendam tanti Præsulis æstimationem.*

PROLEGOMENON I.

LEOPOLDVS

Episcopus Passauiensis, & Argentoratensis.

EPiscopatus Passauiensis (olim Patauiensis dictus) à beato Laurentio Confessore, ipso Apostolorum tempore institutus ac fundatus, Archiepiscopatui Laureacensi vnitus, solo æquatâ per Attilæ barbariem Laureaco, à Metropolitano suo Salisburgum translato, abscissus ab Vticone Bauariæ Duce *Origo Episcopatûs Passauiensis.*

vrbe ipsâ Patauio (olim Batauia, & castra Batauа nominabatur) & Comitatu dotatus, Ecclesiasticam suam iurisdictionem, à Bauariâ, per vtramque Austriam, ad ipsos vsque Vngariæ fines protendit.

Canonicorum Collegium: Canonicorum Collegium, quod tribus supra vicena capitibus constat, neminem in gremium admittit, nisi de illustri prosapiâ, per tres cum vtroque parente agnationes deductâ, oriundum. Quæ Episcopo ad faciliorem tanti populi gubernationem subseruiant, duo erecta sunt Consistoria, ad quorum alterum, quæ supra Onasum, ad alterum quæ infra Onasum sunt Ecclesiæ, earumque causæ, reuocantur.

ad illum adeundum LEOPOLDVS *approbatur* Ad hunc adeundum Episcopatum viam Serenissimo Leopoldo Guilielmo aperuit Serenissimus Patruus, FERDINANDI II. frater, Leopoldus, qui per fraterna pacta, obtentâ possessione Tyrolis Romam profectus, & ineundi cum Claudiâ Medicæâ Ferdinandi Hetruriæ Ducis filiâ, Vrbini Ducis viduâ, licentiam à Supremo Ecclesiæ Capite obtinuit, & resignatis Passauiensi & Argentinensi Episcopatibus, de assumendo in successorem Serenissimo suo Nepote ita egit, vt motus Vrbanus VIII. ad Serenissimum Leopoldum Guilielmum Bullam expediuerit, quâ potestatem conferebat, vt is ab vtroque Capitulo, quamquam ætate adhuc adolescentulus, & necdum ijs instructus dotibus, quæ veteri harum Ecclesiarum instituto requiruntur, in Episcopum seu Administratorem, vel Coadiutorem cum iure successionis eligi posset, aut postulari. In quâ Bullâ, quæ ad commendationem Serenissimi plurimùm faciunt, hæc leges:

per Bullam VRBANI VIII. *Volentes itaque Te, qui charissimi in Christo Filij nostri* FERDINANDI *Romanorũ Regis in Imperatorem electi, natus, ac vndecimo, vel circà, tuæ ætatis anno existis, ob præclaræ indo-*

indolis tuæ ad Catholicæ Religionis defensionem & propagationem, cùm tuâ sponte, tum sedulâ Maiorum tuorum imitatione admodum propensæ argumenta, aliaque insignia animi & ingenij ornamenta, quæ quidem magnam nobis spem adferunt, Te procedente ætate non modò in magnum Præsulem euasurum, sed in omnibus & Religiosi & vigilantis Antistitis muneribus, summâ cum laude obeundis, nemini cessurum; horum intuitu fauore prosequi gratiæ specialis, motu proprio, non ad Tuam, vel alterius pro Te nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ,&c.

Anno itaque sæculi sextidecimi quinto supra vicesimum, pridie Idus Martij, per Rodericum Baronem de Santhilier, Canonicum Passauiensem & Olomucensem, ac Præpositum Mathicensem, possessionem adijt Canonicatûs Passauiensis. Anno, qui hunc secutus est, Kalendis Februarij, gemino Breui Apostolicum fauorem Nouello Canonico transmisit Vrbanus VIII. Quorum altero ad Collegium Canonicorum dato, eum Coadiutorem perpetuum ac irreuocabilem cum futurâ successione, post Serenissimum Patruum, constituebat. *Ita vt hoc cedente, vel decedente, vel aliàs isti Ecclesiæ præesse desinente, ipse, postquam ad legitimam ætatem peruenisset, Episcopus esset.* Si autem ante legitimam ætatem Leopoldus Administrator præesse desineret, Administratorem constituebat Marquardum de Schwendo, Capituli Decanum, donec Serenissimus Leopoldus Guilielmus legitimæ ætatis annos assequeretur.

Possessionē adit Canonicatûs Passauiensis.

Constituitur Coadiutor cum iure succedendi.

Alteri verò propè eiusdem tenoris ad Serenissimum Leopoldum Guilielmum dato, hæc in eiusdem commendatione inserebat: *Nos Te, ob insignia generis tui Romanorum Imperatoris, ex Catholicorum ac piorum Regum & Principum personis longè clarissimi merita, singularemque Familiæ*

tuæ in Nos & Apostolicam Sedem deuotionem, necnon præclaras virtutes, quæ vel in istâ ætate in Te elucent, ac pietatem, & Religionis zelum, ex quibus speratur, ætate tibi suffragante, Te in Religiosum circumspectumque Præsulem euasurum, &c.

Annum igitur assecutus ætatis XXIII. plenam rei gerendæ curam suscepit; quam ita sustinuit, vt quod initio annis deerat, longè superaret virtute. Quæ secuta est eiusdem Ecclesiæ gubernatio, fuit Pastori suauis, populo grata, vtrique amœna; hoc sibi de optimo Patre, illo de ingenuis filijs gratulante. Quoad licuit, hîc sedem fixit; nusquam, quàm cum sponsâ suâ, cum maiore animi voluptate commoratus. Post ductos in triennium Imperatoris nomine exercitus, cùm sagum togâ mutare statuisset, animo primùm vacaturus, in remotam ab hominum tumultu sedem Bulgram, vno lapide distantem Lincio secessit, vt eos ibi per S. IGNATII notissima orbi SPIRITVALIA EXERCITIA in se renouaret, & ad perfectionem excoleret affectus, quos in primo tantæ dignitatis aditu conceperat. Hinc, imperatâ sibi quiete, ad populi solatia processit. Passauio ergo redditus, quales suos desideraret, in seipso exhibuit, efficacissimo vsus imperio, exemplo: ad quod, quisquis oculos intendebat spectator, non modò expressum viuumque se videre existimabat Episcopum, quem in imagine suo Tito monstrauit Apostolus; sed & factus, quà licuit, imitator, suæ vitæ rationes ad virtutis normam reuocabat. At non licuit diu Sponsæ, sui Sponsi præsentiâ frui, quem fraternæ FERDINANDI Cæsaris preces, ipsis imperijs potentiores, & Domûs, & Regnorum, & Orthodoxæ Religionis propugnatorem, contra Suecorum arma, quæ toto Imperio grassabantur, constituerunt.

gubernatio,

pro Ecclesiâ, sanctè & vtiliter.

Quæ verò pro eâ Ecclesiâ æquè sanctè ac vtiliter gesta, sunt:

ſunt: Suo conſtantiſſimè ſeruata in vigore Eccleſiaſtica diſciplina; huic præfecti eiuſmodi viri, qui non tantùm ſanguinis, ſed & ſapientiæ, ac maturæ virtutis nomine, apud omnes præſcripſiſſent; curata cum reuerentiæ ac pietatis laude Diuina; obitæ penè totis æſtatibus viſitationes; aut inducti, aut coacti ad muneris ſui rationes Parochi; emendati populi mores; reducta ex errorum tenebris ad Fidei lumen ſupra ducenta capitum millia; expuncta nomina ter centenorum millium Rhenenſium, ab Anteceſſore relicta; ſupra mille ducentos aureos quotannis ad decorem Chori de ſuis impenſa; annuâ liberalitate, ſupra ſeptem millia florenorum, Religioſorum, viduarum, ac egenorum ſolatio donata; excitandæ iterùm ſuis è cineribus Eccleſiæ ac vrbi, triginta ſex millia parati æris munificentiſſimè data, penè totidem debitorum millia, afflicto populo remiſſa.

Argentoratenſis Epiſcopatus exordium à Dagoberti, iſtius nominis primi Francorum Regis piâ munificentiâ, repetunt multi Scriptores, ac potiſſimùm Franciſcus Guilimannus, integro volumine de eius Antiſtitibus vulgato, quaſi dictus Rex Dagobertus ſæculo Chriſti ſeptimo, S. Amandum, antè Traiecti ad Moſam conſtitutum Epiſcopum, ad propagandam in Germaniâ fidem euocarit, & primùm Argentoratenſis Diœceſis Antiſtitem procurarit nominari. Contra huiuſmodi Scriptores qui hoc & præcedenti ſæculo floruerunt, edidit Godefridus Henſchenius è Societate IESV Diatribam de tribus Dagobertis Francorum Regibus, oſtenditque Dagobertum Secundum, ſancti Sigeberti filium, hanc Diœceſim reliquamque Alſatiam plurimis monumentis condecoraſſe, quorum pleraque erant ab alijs auctoribus ad auum eius Dagobertum I. perperàm tranſlata. Prætereà demonſtrat, *Origo Argentoratenſis.*

ante

ante S. Amandum Traiectensem Episcopum, trecentis minimùm annis, isthic sanctos sedisse Episcopos. Qui autem Amando primo Argentoratensium Episcopo successerint vsque ad S. Arbogastum XIX. & S. Florentium XX. Episcopum, enumerantur in dictâ Diatribâ, quos alij secundum & tertium à S. Amando collocarunt. Huius loci Antistes, Principis Imperij gaudet nomine & dignitate, & Landgrauij Alsatiæ titulum cum plenâ iurisdictione gerit; suntque qui dicant, prouentus annuos olim, ad centum viginti millia imperialium ascendisse.

Canonicorum Collegium.

Canonicorum Collegium constituunt capita quatuor & viginti, quæ non nisi de Principum Comitumque familijs assumuntur. At postquam Argentina Lutheri dogmata suscepit, non vno in loco, sed sparsi degunt per Diœcesin; Episcopo interim, & olim, & hisce temporibus Tabernis Alsatiæ aut Molshemij residente.

Aggreditur huius gubernationem.

Ad hanc Ecclesiam sortitus est aditum Serenissimus Leopoldus Guilielmus eodem tempore, eâdem viâ, quâ ad Passauiensem; ac tandem eodem, quo suprà, & ætatis & sæculi anno, vtramque temporalium ac spiritualium gubernationem aggressus est, potestatem faciente Vrbano VIII. cum addito Serenissimi elogio:

Nunc consideratis insignium virtutum donis, quibus largiter Altissimus personam Tuam in istâ adhuc iuuenili ætate cumulatè insigniuit, sperantes Te, qui etiam Ecclesiarum Passauiensis, & Halberstadiensis, & Bremensis Administrator Apostolicâ auctoritate deputatus existis, ob singularem prudentiam, integritatem, & Catholicæ Religionis zelum, quibus Te etiam supra ætatem præditum & ornatum esse accepimus, tandem Ecclesiam Argentinensem etiam in spiritualibus rectè, & prudenter, & feliciter esse administraturum. Propterea Te præmissorum intuitu, amplioribus fauoribus & gratijs prosequi volentes, &c.

Anni

Anni ſex ſupra vicenos, quibus Pontifex huic Eccleſiæ præfuit, & rei Catholicæ fructum & Principatui vtilitatem attulerunt. Cumulauit Religioſis Prouinciam, Religioſos fundationibus. Elam & Hermelsheimium, Minores S. Franciſci ſtrictioris obſeruantiæ; Molshemium, Capucinos; Tabernas, Sanctimoniales induxit: Cœnobium in monte S. Othiliæ pænè collapſum erexit, auctâ dote firmauit; Seleſtadij, Societatem IESV de bonis periclitantem contra vim tutatus eſt; eidem Molshemij Academiæ fundationem perfecit, cui in ſubſidium animarum reique Catholicæ duodecim alumnos ſuſtentandos adiecit: Tabernis, Xenodochium magnis impenſis reſtituit: Anabaptiſtas ex Argentinenſis oppido Elſenheim eiecit, ratus maiorem fructum daturam terram, quamuis incultam, quàm ab eâ peſte laboratam. Denique ſi expendas oriera, quibus per Anteceſſorum bella grauatum Epiſcopatum eliberauit, ea facilè quadringentorum ſeptuaginta quinque millium Rhenenſium numerum excedunt. Ita Paſtor optimus, cùm ſuæ Eccleſiæ præſentem grauiora Catholicæ rei momenta non paterentur, affectu tamen & vtilitatis ſtudio ab eâ numquam receſſit. *Fructus gubernationis.*

PROLEGOMENON II.

Archiepiſcopus Bremenſis, Hamburgenſis, Magdeburgenſis, & Epiſcopus Halberſtadienſis.

CArolus, non minùs Apoſtolico zelo, quàm Imperatoriâ Maieſtate Magnus, poſt fundatum Bremæ Epiſcopatum, Hamburgi Archiepiſcopalem Sedem erigere deſtinauerat: quas religioſas cogitationes cùm mors intercepiſſet, Ludouicus tandem eius filius, & in Imperio *Origo Bremenſis & Hamburgenſis:*

successor, non minus re quàm nomine Pius, ad finem deduxit, impetratâ à Gregorio IV. à se erecti Archiepiscopatus confirmatione Anno pòst vndecimo per Danorum classem occupatâ Hamburgo, & suis cineribus sepultâ, trucidatis, captis, fugatisque Christianis, S. Anscharius primus eius loci Archiepiscopus, per annos omnino XIV. cum pauco suorum grege exul & vagus, tandem à Ludouico II. Pij filio, Bremæ Antistes est consecratus anno 831. impetratumque à Nicolao I. Pontifice Max. vt

vniuntur: Hamburgensis & Bremensis Episcopatus vnirentur; eâ tamen lege, vt Archiepiscopali titulo Hamburgensis præcelleret. Exinde res tum Ecclesiastica, tum temporalis in arcto stetit adusque Ottonis Magni Imperatoris tempora, à quo primùm Metropolitana Episcopos suffraganeos accepit, & iurisdictione ciuili Bremæ, omnique prouentu monetæ, telonij, banni, aliarumque Imperatorij fisci re-

augentur auctoritate & prouentibus. rum ac iurium accessione est aucta. Adalbertus, eius loci duodecimus Archiepiscopus, ab Henrico III. constitutus, quòd ob incestas nuptias Suenonem II. Daniæ Regem corripuisset, hicque ferrum & flammam minaretur, se quidem, non tamen Metropolitanæ dignitatis titulum,

Lis de Metropolitano inter Bremenses & Hamburgenses: ad Bremenses transtulit. Quod sicut occasio fuit, vt tres proximi successores promiscuè tam Hamburgenses quàm Bremenses Archiepiscopi dicerentur; ita quinquaginta annorum litem inter vtramque vrbem ac populum excitauit; illis & Pontificum, & Imperatorum Diplomata, & annorum plus trecentorum præscriptionem allegantibus; his verò præsenti rerum statui, & numquam interruptæ à S. Anscharij, & primi Hamburgensis excidij temporibus, Episcoporum habitationi insistentibus: donec tandem sub annum Christi 1223. Archiepiscopo Gerardo, Ecclesia Hamburgensis Bremensi cessit, & tanto tempore iure

iure possessam prærogatiuam sponte transmisit, magis publicæ pacis & tranquillitatis amans, quàm honoris ambitiosa. A Gerardi obitu, post octodecim alios Archiepiscopos hanc dignitatem obtinuit Christophorus Dux Brunswicensis: quo Pastore præualuere lupi, & inuecta hæresis, Catholica sacra è Cathedrali sustulit, & vsque ad Generale Concilium suspendit. Neque meliùs res acta est sedente Adolpho; cuius vt illegitima per Pontificem electio est declarata, ita & gregis cura est neglecta, vt iam & vrbes Lutheri dogmatibus replerentur, & templa eiusdem sacrilegijs profanarentur. *Intrat hæresis.*

Anno demum 1635. post præfati Adolphi obitum, cùm Vrbanus VIII. canonicam electionem Sedi Apostolicæ debito tempore non præsentatam, ad se deuolutam assereret, Archiducem Leopoldum Guilielmum, per Bullam magnificè dilaudatum, Bremensi Sedi cum vtrâque iurisdictione præfecit.

Episcopatus in Schwalenberg à Carolo Magno constitutus, seu temporum iniquitate, seu pietate Cæsarum per varia loca ductus à nonnullis dicitur; ac tandem Ottonis Magni zelo Magdeburgum vocatus, eiusdem munificentiâ, ac Ioannis XIII. Papæ auctoritate, Archiepiscopatus esse cœpit. Eius loci Antistes iam olim Primatis Germaniæ titulum gessit, quem ei hodie Electores Ecclesiastici, ac Salisburgensis Archiepiscopus negant. Adusque propagatam per Germanicum Imperium Lutheri impietatem perstitit incorruptus Fide, ac diuitijs potens; habuitque suæ potestati subditas quatuordecim ciuitates, præter arces, oppida, pagosque quamplurimos, è quibus fructus quadringentorum millium Imperialium in annos singulos conferebantur. At sedente Alberto Marchione Brandenburgico sub annum sæculi decimi- *Origo Magdeburgensis.* *Iurisdictio.* *Intrat hæresis.*

quinti quadragesimum, concessâque & Magdeburgensibus & Halberstadiensibus fidei libertate, ciuitas illa excussit Archiepiscopi dominium, & se Anseaticis iunxit. Serpsit ex eo tempore hæresis veneni more. Nam huius Successor Sigismundus, Marchio Brandenburgicus, Augustanam confessionem admisit: Ioachimus Fridericus, etiam Brandenburgicus, Heterodoxis pseudo-euangelij præcones induxit, & sacrilegam Lutheri cœnam dispensari iussit. Tenuit eam dignitatem etiam coniugatus violenter, donec viuis erepto parenti, & in Marchionatus gubernatione, & in Electorali dignitate succederet. Tum verò Christiano Wilhelmo administrationem cessit, qui patris secutus exemplum, sponsæ suæ Ecclesiæ consortem thori superinduxit, vnàque vtramque habuit, donec imperio Ferdinandi II. virtute Tilly captâ vrbe, ipse captiuus in Austriam ductus est: vbi tandem eiuratâ hæresi, Catholicis ritibus accessit.

Leopoldus constituitur Archiepiscopus.

Hac ergo vrbe in bustum redactâ, captiuato eius Administratore, quem Romana Sedes, vti & parentem, legitimum Antistitem non agnoscebat, successit Serenissimus Archidux vi Bullæ sub annum 1628. ab Vrbano VIII. datæ, quâ concedebatur ei, *vt in Archiepiscopum Magdeburgensem assumeretur (licet annum ætatis 16. non excederet) & Christiano Rudolpho (qui se gerebat pro Archiepiscopo prætextu electionis de suâ personâ per Capitulum factæ) cedente etiam in fauorem ex causâ permutationis, vel decedente, aut dictam Ecclesiam dimittente, vel Ecclesiâ ipsâ aliàs quomodolibet vacante, ex nunc pro tunc Administratorem in temporalibus constituebat: in spiritualibus verò, donec Serenissimus ad legitimam ætatem perueniret, Nuntium Apostolicum apud Ferdinandum Imperatorem deputabat.*

Sed non diu licuit populo gaudere tam bono Principe. Nam

Nam anno 1636. Ferdinandus II. Leopoldi Guilielmi Augustus Parens, hunc Archiepiscopatum in Augustum Electoris Saxonis filium, ex pactis Pragensis pacificationis transtulit; Bremensem verò in Fridericum Daniæ Regis filium, tunc Holsatiæ Ducem, vt Rex ad admittendam eamdem pacificationem inflecteretur: eâ tamen adiectâ conditione, vt Religio Catholica in quo statu fuit anno sæculi XXVII. ad eumdem reuocaretur. Exinde Augusto Patri obsequentissimus filius & dignitates posuit, & titulos dimisit. *Resignat Magdeburgensem & Bremensem.*

Halberstadiensis Episcopatus parentem quoque agnoscit Germaniæ æquè Apostolum ac Imperatorem Carolum Magnum: qui quidem Seligenstadij (nunc vocant Osterwicum) primùm conditus, deinde ad Albis & Oræ coitum Alboræstadium, siue, vt nunc appellamus, Halberstadium, est translatus. Et vrbs, & totus Comitatus, qui per vndecim Præfecturas latè effunditur, Episcopi dominio subiectus est; solitusque est Principi suo quotannis reddere supra centum millia imperialium. Ingressa Diœcesim primis statim sui exordijs Lutheri pestis, breui tempore ipsam etiam vrbem corripuit, gubernacula tenente Alberto Marchione Brandenburgico; ac deinde quatuor Brunswicensium Ducum illegitimâ successione, modicas Catholicorum reliquias mirè afflixit, nec supra quatuor Orthodoxæ professionis Canonicos tolerauit. Vltimus ex Brunswicensium familiâ Administrator, ius, quod sibi arrogabat magis quàm habebat, honesto vsus renuntiationis titulo, turpi mercatu in secundò genitum Regis Daniæ transtulit. At in oppositum iuit Canonicorum Collegium, qui in Antistitem suum postularunt Administratorem Magdeburgensem Christianum Wilhelmum, Marchionem Brandenburgicum. Hic verò, *Origo Halberstadiensis: iurisdictio: intrat hæresis.*

ne controuersiæ bellum fierent, præfatum Regis Daniæ filium in Coadiutorem assumpsit. Sed neque hoc probatum est Collegio.

Quare posito primùm per Imperatorem in vrbem præsidio, cùm ex facto notoriæ deuiationis, & inde Imperiali Banno in Christianum Wilhelmum imminente, illa Ecclesia Pastore esset destituta, consentientibus omnium suffragijs, ac nemine prorsus dissentiente, Episcopus electus est Serenissimus Archidux Leopoldus Guilielmus. Cui suffragatus est speciali Bullâ Vrbanus VIII. cumque (quòd denominationem ad se deuolutam esse teneret) Administratorem in spiritualibus & temporalibus pro tunc, quando ad legitimam ætatem peruenerit, Episcopum Halberstadiensem declarauit.

Eligitur LEOPOLDVS,

Rexit hanc Ecclesiam annis non plus duodecim; donec tandem per pacta pacis Osnaburgensis, Episcopatus ille Electori Brandenburgico, in compensationem transcriptæ Suecis anterioris Pomeraniæ ac insulæ Rugiæ, est assignatus; eâ tamen conditione, vt Religio Catholica, & Ecclesiastica bona in eo statu conseruarentur, *quemadmodum per D. Archiducem Leopoldum Guilielmum, initâ cum Capitulo Cathedrali pactione, ordinata fuerant*. In huius transscriptionis vicem destinauerat Fratri suo Ferdinandus III. Glogouiensem Silesiæ Ducatum: sed cùm in eo ipse sibi plura reseruaret, maluit Serenissimus annuè quadraginta millia Rhenensium accipere. Quia verò in illâ transactione, de deferendo titulo nihil dispositum fuit, Serenissimus eum ipsi etiam sepulchro intulit.

resignat Episcopatum;

retinet tamen nomen.

PROLE-

PROLEGOMENON III.
Episcopus Olomucensis & Vratislauiensis.

ANno salutis 887. Nicolao I. Pontifice Maximo, Episcopatus Morauiæ Velegradi constitutus, inde post triginta annorum ætatem in Oppidum Polessowicium, vel, vt malunt alij, Kunowicium translatus, demùm post exactam medij sæculi ætatem, Ratisbonensi Ecclesiæ per trinam propè annorum duodenam vnitus; tum verò per nouem & ampliùs annorum decades, Pragensi Archiepiscopatui adnexus; tandem Vratislai I. Bohemiæ Regis operâ, annuente Pontifice Alexandro, ad Morauos quidem rediјt, post octennium tamen in annos quinque iterùm à Pragensi occupatus, quietem nancisci non potuit, donec à dicto Vratislao I. Olomucium est translatus. Libertas tamen Episcopum eligendi in solos Canonicos Regulares Cœnobij Strohouiensis, nequidquam reluctante Pragensi Capitulo, per Regium Diploma constricta. Quo ex loco per annos centum & ampliùs, decem ordine assumpti fuêre Episcopi. *Origo Olomucensis. Vnitur Ratisbonensi. redit ad Morauos.*

Anno demum currentis sæculi XXXVIII. postquam prioris anni XII. Calend. Octobris è vitâ cessisset Franciscus Cardinalis à Diestrichstein, eius loci Antistes, quatuor Cæsarum Consiliarius intimus, tertiùm Legatus à Latere, trium Pontificum elector, vir prudentiâ æquè Politicâ ac Ecclesiasticâ, æquè naturæ ac gratiæ donis instructissimus; per concordem omnium acclamationem electus est Episcopus Serenissimus Archidux Leopoldus Guilielmus: cui demum anno sequente sub v. Augusti Vrbanus VIII. confirmationem contulit, adiectâ hac Archiducis commendatione: *Eligitur per acclamationem Leopoldus; confirmatur.*

Conside-

Consideratis grandium virtutum meritis, quibus largiter Altissimus personam tuam multipliciter insigniuit, & quòd tu, qui Argentinensis, Passauiensis & Halberstadiensis Ecclesiarum huiusmodi administrationem hactenus laudabiliter gessisti, eamdem Ecclesiam Olomucensem scies, voles, & poteris, auctore Domino, salubriter regere, & feliciter gubernare, &c. Tum, aditâ priùs per Illustrissimum ac Reuerendissimum Philippum Fridericum Baronem Breiner, tunc Decanum Capituli, mox Viennensem Episcopum, possessione, ipse sponsam suam salutaturus Olomucium venit, eoque omnium Ordinum vultu, plausu, & gestientis animi significatione exceptus est, quæ apertè loquerentur, quantum sibi omnes de tanto Principe gratularentur: ipso vicissim eximia Austriacæ humanitatis officia imis summisque reponente, & singularia in sponsam suam amoris argumenta exhibente.

Fructus gubernationis.

Rexit ergo eam Ecclesiam annis omnino quatuor & viginti, eâ vigilantiâ, prudentiâ, zelo, paternique animi profusione, vt turbato etiam Morauiæ statu, totâque ditione, ac ipsâ Olomucio in Suecorum potestatem violentis armis redactâ, vnum omnibus solatium fuerit, Serenissimum Leopoldum Guilielmum superesse. In Cathedrali vt res diuina & religiosè & accuratè perageretur, & egit, & impetrauit. Sanctimoniales iuxta decretum Concilij Tridentini clausit. Clerum per probatæ virtutis viros visitauit. Ne Ecclesiastici extraordinarijs tributorum oneribus grauarentur, à Cæsare impetrauit. Vt ruralis Clerus de suâ substantiâ testari posset (quod pridem Pontificis hortatorijs Breuibus desiderabant) à Morauiæ Statibus obtinuit. Visitationem Generalem, quæ diu Politicorum futilibus rationibus impediebatur, extorsit. Inquiri in deuoluta ad sæculares dominos Ecclesiasticorum bona

bona demandauit. Rem temporalem & accuratiùs & fideliùs agi præſcripſit. Subditos à Dominorum Præfectis & premi grauiùs, & tractari duriùs, grauium pœnarum interminatione prohibuit. Munificentiâ Auſtriacâ Eccleſias, Clerum, Religioſos, ſubditos auxit. Supra duodecim millia capitum cenſentur, quæ eo Antiſtite in Morauiâ Fidei lumen aſpexerunt. Denique pro zelo Religionis quo tenebatur, Auguſtiſſimo Imperatori perſuaſit, vt cum Prouinciæ Statibus ageretur de ijs ex Morauiæ Ducatu amandandis, qui errores acatholicos durâ pertinaciâ tuerentur, ne maiorum tolerata perfidia, minores quoque, aliàs in exempla Dominorum pronos, induraret.

Vratiſlauienſis Epiſcopatus, Miecislao Poloniç Principe ſub annum Redemptoris nongenteſimum ſexageſimum-ſextum erectus, primùm Smogræ ad Oderam locatus, pòſt paulò in Pitchan tranſlatus; ac tandem anno milleſimo quinquageſimoſecundo Vratiſlauiæ eſt conſtitutus. Initio ſuſtentando Antiſtiti à Fundatore collatæ fuêre omnium fructuum decimæ: deinde verò anno milleſimo ducenteſimo, donatione Iaroſlai Principis totus Niſſenſis circulus acceſsit, quem Henricus Pius anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo omnibus oneribus liberauit, & immunitatibus donatum Principatûs titulo ornauit. Florentiſsimus olim fuit huic Eccleſiæ ſtatus, ſiue ſpectes poſſeſsiones, & ampliſsimas eius opes, ſiue Prælatorum Eccleſiaſticorumque auctoritatem, ſiue rerum diuinarum adminiſtrationem, & cultum Religionis. At ex quo tempore Lutheri perniciosa peſtis & vrbem & Principatum omnem corripuit, mirum, quantum flos ille omnis eſt attritus. Erepta Canonicis Sedes, Prælatis & auctoritas & prouentus annui, Catholicis Eccleſiæ, vt in Vratiſlauienſi Archidiaconatu, quæ ad heterodoxos defecerunt,

Origo Vratiſlauienſis:

intrat hæreſis.

runt, numeratæ sint centum octogintaquatuor: in Glogouiæ Maioris ducentæ & octo; in Lignicensi, præter duas Religiosorum, omnino omnes.

Postulatur LEOPOLDVS: *confirmatur.*

Rebus in hoc statu positis, successit Carolo Ferdinando Poloniæ Principi, octauâ Maij anno 1655. defuncto, Serenissimus Archidux Leopoldus Guilielmus, tertiâ Augusti vnanimi omnium Canonicorum voto postulatus; ab Alexandro VII. die XXI. Ianuarij subsequentis anni cum amplissimâ adiectâ laude confirmatus: cuius deinde Principatûs possessionem eodem anno mense Martio per Illustrissimum & Reuerendissimum Dominum Gothardum Franciscum Baronem à Schaffgotsh, & Illustrissimum Dominum Ioannem Kaltschmidt, suæ Aulæ Cancellarium, adiuit. Grex conuulsus & dissipatus diuturniore Serenissimi vitâ indigebat, vt, quod vnicè ipse desiderabat, in vnum ouile congregaretur.

Fructus gubernationis.

Interim tamen breui eo tempore, quo Principatum tenuit, permulti magni nominis & primæ nobilitatis viri Romanis ritibus accesserunt: in ipsâ vrbe Vratislauiensi, cùm antè perpauci essent Catholicæ Religionis, in primâ solemni per Serenissimum impetratâ, per Augustissimum imperatâ, Corporis Christi Supplicatione, qui ordine procederent, numerati sunt quinquies mille, præter eos, qui & armis & domesticis negotijs detinebantur. In multa per Ducatum Iaurouiensem & Glogouiensem templa castæ Fidei Curiones inducti: ex Ducatu Olsnensi pestilens rabula amotus: exturbati fuissent quoque è Saganensi, nisi pios Serenissimi conatus mors Augustissimi fratris FERDINANDI III. interrupisset. Auxit Alumnorum numerum, vt plures maturescerent qui laboranti Ecclesiæ subuenirent: vt casta in Tribunalibus seruaretur Iustitia, Iudicum adiecit stipendijs: Ecclesiastica iura contra

contra potentiorem vim defendit: Clero remisit debita, subleuauit inopiam, & magnis sumptibus Suffraganeum instituit. Denique ita rem gessit, vt quem omnium vota postularunt, omnium gaudia exceperint, defunctum omnium lacrymæ sint prosecutæ; vel sic testatæ, quanti facienda sit boni Principis iactura.

CAPVT I.

LEOPOLDI

vocatio Ecclesiastica, eius amor, & quotidiani pensi accurata persolutio.

NVllus apud populum magis auctoritate præscribit Antistes, quàm cui & sanguinis splendor, & sanguine non minùs illustris virtus suffragatur. Solet enim tantò & subditorum promptior esse ad parendum facilitas, & extraneorum minor ad nocendum audacia, vbi ad subiectionem reuerentiæ est adgenitus splendor, ad securitatem præsidium, seu propriâ, seu agnatorum potentiâ. Et hæc potissima causa fuit, quòd gloriosissimæ memoriæ Ferdinandus II. Romanorum Imperator, zelosissimus, si quis alius, incorruptæ Religionis propugnator, à morte primogeniti Ioannis Caroli, duos, quos superstites habebat filios, Ferdinandum Ernestum, & Leopoldum Guilielmum, veluti duos in suis Regnis ac Prouincijs gladios esse voluerit, priorem quidem sæcularis, posteriorem Ecclesiasticæ potestatis; vt mutuâ vtriusque conspiratione solidiùs vtriusque Statûs dignitas fulciretur. Ea enim tunc temporum erat iniquitas, vt latè per Germaniam tam in vulgus quàm in Principes sparsa & radicata hæresis, per summam violentiam in Ecclesiarum bona grassaretur,

Initium vocationis Ecclesiasticæ.

& à Dei Aris per sacrilegium abstracta, in suæ libidinis seruitutem cogeret. Neque verò siue ad sustinendos præsentes, siue ad reprimendos vlteriores qui imminere credebantur impetus, arma alia vel securiora, vel firmiora superesse videbantur, quàm si Serenissimus filius Leopoldus Guilielmus à teneris adhuc annis ad sacras Infulas disponeretur. Accedebat adolescentis Principis genij facilitas, serenitas animi, ingenij felicitas, & prona in omne virtutum genus inclinatio, quæ facilè Augusto Parenti persuaserunt, Filium aliquando magno Ecclesiarum & Religionis emolumento futurum.

Suscipit quatuor minores Ordines.

Quare licet ætate adhuc immaturum, eximia tamen pollicentem, Augustus Parens minoribus quos vocamus Ordinibus initiari voluit, tum vt beneficiorum dignitatumque Ecclesiasticarum capacem redderet, tum vt ijs assuesceret puer, quæ olim vir tractaturus esset. Cuius voluntati non tantùm cum filiali reuerentiâ est obsecutus, sed cum eâ animi voluptate, quæ ex vultu, ex oculis, ex sermone erumpens, præsentem Aulam suspensam tenuit admiratione, & quadam dulcedine delibutam. Exinde locum domestici Oratorij, in quo id beneficij consecutus fuit, in eâ semper veneratione habuit, vt & de concepto inibi suauitatis gustu memoriam frequenter ageret, & Græcio sub vltimos vitæ annos cum Augustissimo suo Nepote redditus, in eo versari sæpiùs, sacrâque Eucharistiâ refici delectaretur; propterea quòd aspectus ipse loci, in quo prima iecit Ecclesiastici statûs fundamenta, subeunte veteris deuotionis memoriâ, nouo quodam in Deum ardore animum excitaret. Cùm vnà procederent ætatis pietatisque incrementa, & neutri cederet ad sacratiorem statum propensio, creuit & in Ferdinando Parente cura, vt optimo Filio de congruis Ecclesiæ beneficijs proui-

prouideret; eo præsertim nomine, quòd ipso Leopoldo intuitu maioris Dei gloriæ consentiente, iura hereditariarum Prouinciarum in Serenissimum Ferdinandum Ernestum transtulisset.

Solutus ergo terrenæ gubernationis curâ, affectum omnem suæ vocationi obstrinxit; quam vnam sibi credidit esse præscriptam à Deo viam, quâ ad salutem eniteretur. Sed quod optabat maximè, obtinere numquam potuit, vt Pastor suo gregi constanter adesset, & concreditas sibi Ecclesias præsens gubernaret. Cùm ergo arma Suecica felicibus per Germaniam successibus grassata se Bohemiæ infudissent, & res non minùs Catholicæ Religionis quàm Austriacæ Domûs exigere viderentur, vt Leopoldus fraterno Cæsaris nomine ac potestate exercitibus præficeretur, & fraternis quà precibus, quà rationibus ad suscipiendam eam molem adurgeretur; admisit quidem quod eo tempore nec ratio nec gloriæ Dei studium detrectari patiebantur; ijs tamen præmissis ad Augustissimum Fratrem precibus, ac rebus ad eum statum reductis, quo sua ampliùs præsentiâ vel auctoritate crederentur non egere, liceret sibi posito sago togam resumere, seque ex integro suis ouibus restituere. Hinc postquam hostili iugo Bohemiam liberasset, idque per Thuringiam persecutus Brunswicum vsque coniecisset, has sui testes desiderij, quod nec sub rigore Martis refrixit vmquam, nec intepuit in gloriarum affluxu, expediuit: *Meminerit Maiestas Vestra, se exeunte anno huius sæculi trigesimo nono, cùm hostis violentia in Bohemiæ Regnum irrupisset, per Comitem de Trautmanstorff, Consiliarium suum arcanum, eiusdemque aulæ supremum Præfectum, mihi proposuiße, voluntatis suæ eße, me publici boni causâ in illud regnum transferre, & armorum suorum imperio onerare. Quod ego quidem*

Amor vocationis.

Suscipit armorum imperium:

petit ab eo liberari:

 obse-

obſequendi ſtudio, eâ quâ par erat reuerentiâ, ac animi promptitudine admiſi; ſpe tamen nixus, non longi temporis hoc opus fore; vt proinde cùm primùm repreßum fuiſſet diſcrimen, quantocyùs mihi redire liceret, & bono mearum Eccleſiarum inuigilare. Cùm igitur Maieſtatis Veſtræ arma in eum ſtatum ſint reſtituta vt præſentia mea non videatur adeò ampliùs deſiderari; quin quod agendum ſupereſt, gubernatione aliorum Capitum, ac præſertim Generalis Piccolominei diligentiâ, fidelitate, zelo, vigilantiâ & experientiâ abundè præſtari poſſit; in ſpem venio fore, vt Maieſtas Veſtra ponderatis his & quas ſubiungo rationibus, me non grauatè militari hac prouinciâ ſoluat. Et primùm quidem apprimè intelligit Maieſtas Veſtra, quàm grauis Deo reddenda ſit ratio animarum curæ infra menſuram debiti adminiſtratæ; ac præſertim mihi, qui non vnius Eccleſiæ pondere, ſed multarum grauor; quæ quantò ſunt ampliores, tantò impenſiorem exigunt ſui Paſtoris vigilantiam. Quod quàm parum præſtare poſſim, dum militaribus inuolutus negotijs abeſſe cogor, facile eſt iudicare. Neque verò ea cura eiuſmodi eſt, quæ facilè poſſit in aliorum humeros reclinari: experior enim indies, quanta ex meâ abſentiâ rerum tum ſpiritualium tum temporalium confuſio irrepſerit; cui occurrere non poſſim, niſi præſentem me ſiſtam. Principio ſuſcepti muneris, cùm res noſtræ verſarentur in præcipiti, fauebat ratio boni publici, Diuiniqúe honoris: ſed cùm iam Dei beneficio repreſſum ſit quod imminebat diſcrimen, &, vt ſuprà memoraui, meliore loco fortuna belli collocata, dubitare non licet, exercitus iam alijs Capitibus tutò poſſe committi. Quòd ſi enim mea vnius præſentia Veſtræ Maieſtatis bellis ſemper neceſſaria iudicaretur, certum eſſet, irreparabili detrimento Epiſcopatus meos affligendos. Vnde prætermiſſis alijs ijſque grauibus argumentis, quæ in hanc cauſam allegare poſſem, horum confiſus robori, quam demiſſiſſimè à Veſtrâ Maieſtate peto, vt

in

in gratiam ac præmium meæ, licet exiguæ, fidelis tamen seruitutis per arma impensæ, militari pondere liberare dignetur, veniamque concedere vocationis meæ institutum persequendi. Equidem non deerunt, quibus hæ rationes excussu faciles videantur; at mihi certè semper hærebunt cordi, vnde à nemine euelli possint. Neque enim hoc animi decretum vel offensâ aliquâ, vel præcipiti consilio, vt credi poßet, sed maturâ multique temporis deliberatione, ac consulto Deo suscepi; in in quo & indies me confirmari experior, &c.

Cùm verò visum esset Augusto Fratri, quamquam melior spes affulsisset, nondum tamen expedire, Serenissimum Archiducem armorum imperio liberari; circumtulit tamen semper Leopoldus sub loricâ militis affectum Præsulis, & quo aspirabat animo, reponi corpore constanter desiderauit, seu belli res caderent fortunâ prosperâ, seu aduersâ. Quare exeunte altero anno, postquam ad Lipsiam Martis alea infeliciter cecidisset, Pilsnâ Comitem Rodericum de Santhelier, eiusdem voti baiulum, ad Augustum Fratrem ablegauit, cum mandatis (verba sunt traditæ instructionis) *Vt viuace repræsentatione Suæ Maiestati exponat, quoties, quamque ardenter exercituum imperio solui postulauerit, quibus ipse sine euidenti conscientiæ suæ vulnere diutiùs præesse non valeat. Meridiano Sole clarius esse, non prosperari à Deo Suæ Maiestatis arma, quibus ipse contra suam voluntatem, contraque susceptam vitæ professionem imperare cogeretur. Litteris se ardentissimis à Capitulo Paßauiensi postulari; quibus conscientiæ ducat non obsequi. Neque moram factura, si quæ contraria sint Theologorum iudicia. Sentiant illi quidquid libet, se alium quàm seipsum suæ conscientiæ iudicem non admittere: de suis enim actionibus non Theologos, sed seipsum supremo Iudici responsurum.* Cùm præuideret autem, ex recenti clade ad Lipsiam acceptâ,

non impetrat.

Iterùm petit.

ceptâ, ſiniſtro Politicorum affectu ac iudicio in vulgus differri poſſe, Auguſtum Cæſarem eâ re minùs ad votum geſtâ offenſum, ei armorum imperium ademiſſe: quanti præ ſuæ vocationis amore hoc argumentum fecerit, quod tamen generoſiſſimos quoſque animos permultum afficit, ex ſequente inſtructionis paragrapho intelliges: *Iudicium mundi non penſi habeo. Loquatur vt lubet: victoriæ ſunt in manu Dei. Quid à me eâ occaſione ſit actum, orbis nouit; vt ſperem id mihi magis honori futurum, quàm dedecori. Quiſque facilè intelliget, me nullâ culpâ miſſionem petere aut impetrare. Et quamuis multæ aliæ mihi ſuppeterent rationes, in hac ſiſto, dicamque ſemper, Potiùs mundus pereat, quàm anima mea. Spero Sanctbelierium optatam reſolutionem euicturum, eamque mihi celeri curſore, qui dies noctesque properet, ſubmiſſurum, vt ſolatium quoddam conſcientiæ meæ adferatur. Nam hoc votum adeò me tenet, vt ad belli curas ſentiam me indies minùs idoneum. Quod ſi demum (quod equidem mihi non perſuaſerim) commune omnium iudicium foret, ſine mei impendio bellum hoc geri non poſſe, id illicò deliberabo, num ſaluâ conſcientiâ Eccleſiaſticas dignitates reſignare poſſim, vt priùs ouibus de bono Paſtore prouideatur. At quia hoc ipſum arduum videbitur, exiſtimauerim id demum eligendum, vt quiſque ſuæ ſe vocationi impendat: tum & Deus aſſiſtet benignior.*

impetrat. Valuêre tandem tam validæ totieſque repetitæ preces apud Cæſaream Maieſtatem, non ſolùm vt petitioni clementer annueret; ſed etiam magnoperè dilaudato pro Regnis & Prouincijs, totoque Romano Imperio ſuſcepto labore, & ſanguinis vitæque impendio ſummas gratias fraterno animo referret. Hîc reuixiſſe viſus eſt Sereniſſimus, & auram, quam diu fruſtrà captauerat, tranquilliùs reſpirare; moxque vt ſuprà Prolegomeno primo memoraui, præmiſsâ octidui aſceſi, ad ſuam Sedem Paſſauium prope-

Gaudium ex eâ re impetratâ.

properare: quam cùm spectaret eminùs, interiore quadam dulcedine delibutus in ea verba prorupisse fertur: *Hæc requies mea.* Quo non obscurum fecit indicium, quis sibi in suam vocationem animus, quæ vitam ad eius leges reducendi esset voluptas.

Neque aliud egit, vbi post Iankouianam cladem rebus Cæsareis in summum discrimen relapsis, ab Augusto Fratre ad arma repetitus, confecto anni spatio, Regnisque ac Prouincijs meliori vultui restitutis, illicò & ipse amatæ suæ quieti reponi iterùm flagitauit. Neque omnino destitisset, nisi eo ipso tempore hostilibus armis vastatâ Flandriâ, Catholici Regis repetitæ preces, ac Cæsaris auctoritas ei persuasissent, vt minimùm in triennium Belgij gubernationem admitteret in suos humeros, cum belli imperatoriâ potestate, inclinari. Sed cuius absentis in Rege Catholico tanta fuit impetrandi cura & sollicitudo, non minus deinde fuit retinendi desiderium. Vnde cùm in annum decimum Belgij Prouincijs præesse cogeretur, identidem tamen quà per litteras, quà per Ablegatos, Regis animum pulsauit, vt, cùm superioribus annis Gallorum armis ereptæ vrbes, Oppida & Castella iterùm Catholicis armis ad suam Maiestatem redierint; & quod adhuc superesset reparandum, breui tempore confici possit; spesque insuper securæ & honoratæ pacis sanciendæ affulgeat; ipsum verò suorum Episcopatuum deploranda conditio, in quam per tot bellorum iniurias sunt coniecti, mirum quantum affligat, & susceptæ vrgeat vocationis obligatio; dignaretur tandem votis annuere, & plenam facere ad gregem suum redeundi potestatem. Ita suarum Ecclesiarum amorem ei nec felices bellorum successus, nec Regis ex eius gubernatione voluptas, nec qui hanc apud Belgas consecutus est plausus,

Resumit ad tempus arma; quo elapso, solui petit:

differtur;

sæpiùs petit,

Cc non

non dicam extinguere, sed ne quidem imminuere potuerunt.

impetrat. Passauium venit: Hâc demum obtentâ veniâ, per Germaniam Passauium delatus, subsistere ad tempus voluit, vt se suis priùs concederet, quàm ad Augustum Fratrem properaret, qui iam diuturno eius visendi desiderio tenebatur. Nec diuturna cum hoc ei mora fuisset, nisi humanitatis ratio exegisset, vt Serenissimi sui Nepotis Leopoldi in Regem Bohemiæ *dein Olomucium & Vratislauiam.* inaugurationi interesset. Hac peractâ, Augustoque Cæsare, ac Nepote Rege Viennam reuertentibus, ipse ad Episcopatus suos Olomucensem ac Vratislauiensem præsentiâ suâ erigendos contendit. Tantum valuit in suam sponsam affectus, vt etiam ab agnato sanguine diuelleret. At indies fatiscens Cæsaris valetudo, iamque in mortem inclinans, non diu hanc ei quietem ac animi voluptatem indulsit: par enim erat, vt morituro assisteret, & suprema verba redderet, & acciperet. Quare cùm excedens vitâ Ferdinandus vtrumque Filium, Leopoldum Regem, & Carolum Iosephum, vtrumque adhuc immaturæ ætatis commendasset, violenter se à suo grege abstrahi passus est, vt Regis Romanorum electioni cum suo Nepote interesset. Atque ex his elucet abundè studium & affectus suæ vocationis, à cuius functionibus non nisi summis honoris Dei ac boni publici rationibus auelli potuit: vbi tamen hæ rimam aperuissent, omni studio reditum sollicitabat. Sed quò abstrahebatur violentiùs, hoc vehementiùs semper aspirabat. Argumento sint toties repetitæ voces illæ: *O liceat aliquando graue armorum pondus exuere, & ad amatam mihi togam redire!* Quod etiam quandoque eleganti Italico versu in hunc sensum expressit:

O Deus! ô quanta est, Tibi deseruire voluptas,
O liceat posito Marte quiete frui!

Sed

Sed me Iesus honor tuus, & reuerentia cogit,
Et ferro, & dextrâ vindice bella sequi.
Hinc reprimendus amor, sanctaque cupido quietis,
Et vita ad nutus, Numen, agenda tuos.
Dum tibi sic placitum est, neque me vis soluere Marte,
Sit voluisse satis, quod tenuisse vetor.

Sed & illa in hoc argumentum venit quotidiani pensi persoluendi cura, cuius tempus nec per belli, vel tot conflictuum strepitus, nec per Reipublicæ negotia sibi vnquam eripi est passus. Ad Lipsiam profligatus, quem alij obtendebant, lassitudinis prætextum non admisit. Ad Lendium ad conflictum dispositus, cùm diurnæ curæ tempus denegassent, metuerentque Duces vicino hosti per ardorem luminis prodi, ne tamen id sibi afferri imperaret, persuaderi non potuit. Neque verò deproperasse contentus, suas singulis horis præmittebat considerationes, quibus animum, ceteroquin facilè vagum, diuinis applicatum contineret. Quarum paucas inter secretas eius deuotiones repertas, quia excitandæ plurium inertiæ seruire possunt, hîc adnecto. *Officij diuini accurata recitatio.*

Considerationes, quibus pensum Diuini Officij comitari possis.

TEMPORE ADVENTVS.

AD MATVTINVM. Considerabo infelicem mundi statum, qui ante aduentum Filij Dei iacebat in tenebris infidelitatis & peccati. Dolebo de tenebris meis, & misero animæ statu, ex meâ tepeditate orto.

AD LAVDES. Considerabo viua & ardentia desideria sanctissimæ Virginis, & SS. Patrum, quibus aduentum Domini præstolabantur. Vniam cum illis ea, quæ me exci-

tate decet, ad remedium, vitæ emendationem, & æternam ſalutem obtinendam.

AD PRIMAM. Conſiderabo Diuini conſilij decretum, non differendi vltrà generis humani ſalutem, adeoque & miſeræ ingrataæque animæ meæ; vnde in meipſo illius ſpem excitabo.

AD TERTIAM. Conſiderabo legationem Angeli, colloquium cum Virgine, in meam confuſionem, & demiſſionis exemplum.

AD SEXTAM. Conſiderabo promptiſſimum ac ſubmiſſiſſimum conſenſum Virginis, eodemque inſtanti temporis ſanctiſſimam animam ac perfectiſſimum Chriſti corpus hypoſtaticè vnita Verbo, ſecundæ in Trinitate perſonæ: quo factus eſt Deus homo, & homo Deus in vtero virginali, vt omnes ſaluos faciat, ſi homo ſuæ libertatis abuſu non obſiſtat.

AD NONAM. Conſiderabo viſitatam à ſanctiſſimâ Virgine Eliſabetham, ſanctificatum in vtero Ioannem Baptiſtam, idque traham mihi in exemplum & profectum.

AD VESPERAS. Conſiderabo ſuſpicionem de innocentiſſimâ Virgine ſubiectam Ioſepho, & huius afflictionem: intelligamque afflictionem eſſe ſecuram Sanctorum viam, quâ ad Deum pertingitur.

AD COMPLETORIVM. Conſiderabo iter Virginis in Bethlehem; non repertum ibi diuerſorium. Inuitabo in cor meum, recipiam, dolebo toties excluſum, proponam emendationem.

TEMPORE NATIVITATIS CHRISTI.

AD MATVTINVM. Conſiderabo electum à ſanctiſſimâ Virgine ſtabulum; ingreſſum in illud; affectum quo deſideratum partum præſtolabatur: parabo cor meum, &c.

AD

AD LAVDES. Conſiderabo feliciſſimum ortum Diuini infantis de thalamo virginali, exceptum à terrâ; fletum eius, frigus & tremorem, ac initium patiendi pro noſtri amore. Animabo me ad afflictiones amore eius tolerandas.

AD PRIMAM. Conſiderabo agnitum, adoratum, amatum, & cum gratiarum actione exceptum à Beatiſſimâ & ſancto Ioſepho Chriſtum. Concipiam deuotionem, gaudium & dolorem, expendendo quid & pro quo patiatur.

AD TERTIAM. Conſiderabo reſumptum in brachia, faſcijs inuolutum, lactatum, reclinatum in præſepe Filium; tum quia non erat honeſtior in ſtabulo locus; tum quia maiorem voluit in peccatoribus fiduciam excitare.

AD SEXTAM. Conſiderabo Angelorum cantu promulgatam gloriam Dei, pacem hominibus, annuntiatum Paſtoribus Chriſtum, horum ad adorandum aduentum. Promptus ero ad diuinas inſpirationes.

AD NONAM. Conſiderabo internas & externas operationes ſanctiſſimi Infantis in mundum ingreſſi, ignoti, humilis, tamque aſpera tolerantis; & illi me aſſociabo.

AD VESPERAS. Conſiderabo exhibita Filio à Matre interna externaque obſequia, tam ſuo quàm omnium noſtrûm nomine; gratias illi referam, & imitabor.

AD COMPLETORIVM. Conſiderabo vile illud mapale tranſiiſſe in Paradiſum, quo clauditur Regia IESV præſentia, MARIÆ & IOSEPHI. Deſtinabo idem fieri in animâ meâ, quamuis indignâ, quoties ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento reficiar.

TEMPORE PASSIONIS.

AD MATVTINVM. Conſiderabo orationem, agoniam, ſudorem ſanguineum Chriſti in horto; incredulitatem diſcipulorum, & meam longè maiorem.

AD LAVDES. Conſiderabo IESVM à Iuda traditum, à cohortibus captum, à diſcipulis deſertum; ad Annam protractum, vbi alapâ cæſus eſt; inde ad Caipham, vbi calumnioſè accuſatus, à Petro negatus, & totâ nocte indigniſſimè tractatus.

AD PRIMAM. Conſiderabo IESVM exoriente die ad Pilatum conductum, examinatum vt reum & malefactorem; miſſum ad Herodem, illuſum vt ſtultum, remiſſum ad Pilatum; Filium Dei Barabbæ homicidæ poſtpoſitum.

AD TERTIAM. Conſiderabo exutum veſtibus IESVM nudum columnæ alligatum, crudeliſſimè flagellatum in conſpectu omnium, fortè & ſanctiſſimæ ſuæ Matris.

AD SEXTAM. Conſiderabo denuò veſtibus ſpoliatum, veſtitum per ludibrium purpurâ, coronatum ſpinis, percuſſum cannâ, illuſum, deriſum, monſtratum populo; Ecce Homo.

AD NONAM. Conſiderabo damnatum ad mortem crucis, baiulantem Crucem, obuiantem ſanctiſſimæ ſuæ Matri.

AD VESPERAS. Conſiderabo crudelibus clauis affixum Cruci, ex eâ inter duos latrones cum extremo cruciatu in conſpectu Matris pendentem, orantem pro nobis Patrem, remittentem peccata latroni, nobis ſuam Matrem conſignantem, & exſpirantem.

AD COMPLETORIVM. Conſiderabo apertum lanceâ latus eius, depoſitum de Cruce corpus, ſepultum; extremum dolorem ac ſolicitudinem ſanctiſſimæ Virginis eius Matris.

CAPVT

CAPVT II.

Zelus Catholicam religionem quà conseruandi, quà proferendi.

STudium Religionis, Apostolica est professio. Hæc non alium magis decet, quàm cui animæ sunt concreditæ. Et hæ deuiâ quandoque libertate in præcipitia deferuntur; pereunt, ni colligantur; non colliguntur, nisi dilatentur charitate Pastoris brachia, & animus diuinæ gloriæ zelo efferueat. Hic si in Rege aliquando eniteat, miraculum est: at in Antistite Ecclesiastico naturæ vim obtineat, vt promptiùs feratur quò munus inclinat. Magnum virtuti subsidium est, naturæ obsequium. Laborum molem superauit, cui gustum dedit natura.

Porrò Leopoldi genius tantò in castæ Religionis incrementa ferebatur vehementiùs, quantò cum paterno Ferdinandi II. sanguine paternum quoque zelum traxit copiosiùs. Audiuit aliquando à suo gloriosissimo Parente dictum: *Suis se Regnis renuntiaturum potiùs, quàm vllam amplificandæ Fidei occasionem neglecturum: malle se cum coniuge ac liberis solo scipione instructum ire in exilium, ac solo pane & aquâ vitam trahere: malle se in frusta concidi, quàm iniuriam Deo & Ecclesiæ illatam tolerare: orare se demum Deum, vt si morte suâ Catholicam Religionem promouere possit, toto mundo inspectante ab infami carnifice plectatur capite.* Audiuit Patris codicillo successorem Ferdinandum III. ardenter monitum, *vt Prouincias, populosque subditos commendatos ex corde haberet; eos in verâ Apostolicâ, Romanâ, Catholicâ Fide, in quâ sola salus est, conseruaret: sectas omnes prauas, & falsas doctrinas, &* Zelus FERDINANDI II.

quidquid

quidquid his aditum, causam occasionemque aperire posset, seriò, omni studio, omni conatu auerteret & impediret: idque seu exempli, seu vltimæ voluntatis, tantò magis ad se pertinere existimauit, quantò se arctiùs per Ecclesiasticam inaugurationem Diuinæ gloriæ promouendæ obstrinxisset. Hinc, vt quo arderet animarum gloriæque Diuinæ studio, ipse sibi aliquando exprimeret, ita Deo suo in chartâ testatus est: *Non aliud Domine, nisi gratiam tuam, amorem tuum, voluntatem tuam, maiorem tuam gloriam, & omnium animarum salutem humiliter & confidenter prætendo in omnibus & singulis, Amen.*

Scripto suum testatur LEOPOLDVS.

Atque vt hoc animi decretum identidem memoriam vellicaret, vt conscripsit, ita hierothecæ, quam de collo gestabat, inclusit. Sed grauius illud, paternoque affectui propinquius, quod inaratum chartæ post eius mortem in eâdem thecâ est repertum: *Hoc vnum voueo, vt in confessionem Fidei mihi vita acerbissimis tormentis eripiatur. O quæ mea felicitas esset, si auxiliante Deo id assequerer!* Cuius chirographi notatus annus is ipse erat, quo ad reprimendos hæreticorum progressus Cæsareo nomine arma sumpserat: vt fidem faciat, ad ea ipsa respexisse pericula, quæ ab hoste, eoque Romanæ Fidei extirpandæ intento, expectari possent.

De salute animarum audiebat cum gustu.

Quod sentiebat animus, prodebat sermo, loquebatur vultus. Nullus enim illi iucundior auditu sermo, quàm qui vel suggereret media reducendarum animarum, vel singularia aut numerosa spolia erepta hæresi referret. Quam ob causam, quoties licebat, reduces ex Oriente Societatis Patres, qui excolendis illis regionibus colonias conducebant, affatum desiderantes, admittebat benignè, verecundantes adsciscebat; & potissimùm, quis fructus, quæ spes, quæ Fidei nostræ æstimatio, quæ ad hanc illarum

illarum gentium inclinatio, eâ ſuauitate explorabat, vt non obſcurè proderet oratio, quo affectu animus æſtuaret. Vtque etiam in illius populi ſalutem conferret aliquid, non tantùm eos liberalibus ac Regijs muneribus, ad ineſcandos barbarorum animos idoneis, ſed etiam annuâ penſione eſt proſecutus.

Qui ſic ad extranea deliciabatur, facilè argui poteſt, quo ſtudio fuerit in ſua. Certè cùm Auguſti Parentis voluntate cederet Archiepiſcopatibus Magdeburgenſi, Hamburgenſi, Epiſcopatu Halberſtadienſi, Abbatiâ Hirſfeldenſi, eam ſemper cautelam pactis adiecit, vt Religioni, boniſque Eccleſiaſticis nec vis nec iniuria inferretur. *Reſignat Epiſcopatus, conditione ſeruandæ Fidei.*

In reliquis verò Diœceſibus animarum Curionibus per editum typis mandatum imperauit, *Vt inquirant in eos, qui liberos ſuos priuatim curant inſtitui & doceri, & obſeruent cuius Religionis ſint eiuſmodi Inſtructores, & quàm morum probatorum; ne fortè pro lacte doctrinæ Chriſtianæ, imbibant venenum hæreſis exitiale. In hæreſi errantes oues culas ſingulariſſimo ſtudio, curâ & conatu ad Eccleſiæ gremium reducere adnitantur. Denique annuatim, quot quilibet in ſuâ Parochiâ hæreticos conuerterit, quot non conuerſi ſuperſint, ad Conſiſtorium ſpeciatim perſcribant.* Quæ vt conſequeretur efficaciùs, eos ſemper delegit animarum Curiones, quibus apud improbos vitæ integritas, apud rudes doctrinæ ac ſapientiæ nomen, auctoritatem conciliaret; quod crederet, & horum & illorum animos faciliùs ab eo expugnari, cuius doctrinæ ipſa vitæ ratio ſuffragaretur. Quin & Auguſtiſſimis Fratri ac Nepoti, quæ vel expurgandis hæreſi Prouincijs, vel attrahendis errantium affectibus ſeruire poſſe exiſtimabat, Fidei Patronus perſuaſit. *Quæ Parochis præſcripſit: probos & doctos deligit.*

Hærebant in Ducatu Morauiæ permixti ouibus lupi; qui ſi gregem Chriſti rapere aut diſſipare non poterant,

exemplo tamen corrumpebant, & mutuo se vlulatu ad pertinaciam indurabant. Hoc enim prauitati est proprium, vt exemplis obstinetur. Tetigit hoc animum Leopoldi, quòd suæ quoque animæ tangerentur. Igitur cùm mederi malo non posset ipse, auctoritatem Augusti Fratris implorauit, & euicit, vt de pertinacibus acatholicis è Ducatûs limitibus proscribendis, seriò commonerentur Prouinciæ Capita. Si enim Decretum id frangendæ contumaciæ non seruiret, seruiturum tamen innocentium integritati conseruandæ.

Nepoti suo LEOPOLDO suadet actũ Austriacæ pietatis:

Augusto verò Nepoti, cùm Francofurti ageret, & Politicorum rationibus sollicitaretur, vt iam veterem Austriacorum morem, Feriâ quintâ Maioris hebdomadæ duodecim egenis pedes abluendi, eo anno prætermitteret, auctor fuit Leopoldus, vt quamquam in sinu hæreticorum versaretur, auitum pietatis exemplum non omitteret: eo potissimùm argumento ductus, quòd id ad æstimandam Ecclesiæ Maiestatem, inijciendumque ipsis acatholicis mitiorem de nostrâ Religione sensum facere posse videretur. Cùm verò hoc loci, qui Fidem Catholicam profiteretur, nullus reperiretur mendicus, piumque consilium vel hoc nomine sublatum crederetur, persuasit aduocarentur Moguntiâ, solitâque Maiorum liberalitate donati remitterentur.

etiam cum armis zelum circumtulit.

Nec dimisit Miles, quod egit Antistes, raroque miraculo simul magnanimum belli Ducem, simul Apostolicum animum eâdem casside protexit. Quoquò hæreticorum terras subibat, adhortabatur verbi Diuini præcones, quorum numerum ad exercitûs sui solatia, curandasque animas secum deuehebat; vt si vmquam aliàs, hîc præcipuè, & frequenter, & feruenter ad populum dicerent; futurum vt acatholicorum concursus, qui vel

vel ipsum nomen Romanæ Fidei Religiosorumque virorum, per rabularum mendacia ad horrorem descriptum execrabantur, humaniore de nobis nostrisque dogmatibus sensu imbuerentur. Neque spes fefellit auctorem. Fuêre enim qui non modò perlibenter audirent, sed etiam æstimarent, & ad redarguendum Ministrorum suorum ignorantiam, in palimpsestum referrent audita. Alij qui Religiosos viros Africana seu perniciosa monstra arbitrabantur, posteaquam mores doctrinæ consentientes explorauêre, non modò cicurati sunt animis, horrore deposito, vt horum ambirent commercium, quorum declinabant aspectum: sed etiam palàm fateri non erubuerunt, se per suorum Pastorum mendacia delusos, promptosque Romanæ Ecclesiæ ritibus accedere, si id suorum Principum auctoritate concederetur.

Religionem & res sacras tuetur in templis.

Si quando cum exercitu vel per Ecclesias transiturus esset, vel violentâ manu (vt sæpè accidit) vrbem occupasset, destinatas ad Templorum sacrorumque locorum immunitatem excubias præmittebat, ne qua Deo eiusque aris, seu per militum petulantiam, seu per æstum victoriæ irrogaretur iniuria. Cui rei cùm non satis cautum aliquando comperisset, visus est ipse stricto ferro aduolare, arcere militum insolentiam, & Dei locum causamque defendere.

Reprimit doctrinam Iansenij.

Sed singulare est quod egit ad extirpandam Cornelij Iansenij doctrinam, quæ, damnata licet, toto Belgio spargebatur. Cùm enim primùm eius gubernationem adijsset, reperissetque illud non minùs hærente in visceribus malo afflictum, quàm hostili furore miserè deuastatum, suarum partium esse iudicauit, vno eodemque tempore vtrique reprimendo, cum diuini Numinis ope, pari studio animique feruore incumbere. Neque enim se felici-

ter satis cum externo decertaturum existimabat, nisi simul aggrederetur internum, tantò periculosum magis hostem, quantò magis saluti animarum insidiabatur. Speciosa monstro prætexta larua illud vtcumque amabile exhibebat.

Origo & progreßus sectæ Iansenianæ. Prodierat namque circa ea ipsa tempora in lucem *Augustinus Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis, Opus posthumum*, primo illo sancti Doctoris nomine ad imponendum animis coloratum, vt vel tantùm inspicienti reuerentiam injiceret, & grande nefas censeretur, eo contenta volumine vel in dubium reuocare, vel susceptis disputationibus examinare. Quòdque non apud plebem tantùm, sed melioris etiam sanctiorisque statûs ac potestatis homines auctoritatis permultum habere solet; iam Theologorum pars aliqua in Cornelij sententias conspirauerat: ne verò etiam sanctitatis nomen deesset, Iansenij sequaces, eminentes aliquot & religiosos viros in eumdem sensum protraxerant; atque hoc velut insuperabili patrocinio animati, eludebant æquè Regia ac Pontificia Decreta; propugnabant à Sede Apostolicâ damnatas assertiones; & vt venenum latiùs serperet, ipsoque cum lacte teneriori ætati instillaretur, Catechismum diuulgauerant, quo perniciosæ huius doctrinæ dogmata tradebantur. Quæ res tantum ad hæreticorum quoque insolentiam valuit, vt vnus ex deprauati verbi Ministris, Samuel Maresius, Professor primarius in Academiâ Prouinciali Groningæ & Omlandiæ, edito in lucem libro, Fœderatis Belgij Statibus sit gratulatus, quòd iam tandem Catholici Doctores aliqui sua ipsorum dogmata suscepissent, spesque esset, plures indies accessuros, ac sensim Pontificium Idolum (ita impiè loquebatur) Romanâ Sede deturbandum.

In

In eo ergo ſtatu erat ſana Fides, vt iam citra ſuccurrentis periculum tentari remedium non poſſe videretur. Verùm is fuit Sereniſſimi Archiducis ardor, propugnandæque Religionis zelus, vt in vnam huius intentus conſeruationem, quid porrò diſcriminis etiam ſibi imminceret, longè poſtponeret.

Quare cùm coacto ſuorum conſilio comperiſſet, ea quæ ante ſuum in Belgium aduentum crudo iſti vulneri adhibita fuerant medicamenta, tantum virium non habuiſſe, vt illud in cicatricem contraherent, inuiolabili decreto conſtituit, Eccleſiaſticas dignitates, Canonicatus, ac Beneficia, quæ Regiæ collationis eſſent, nulli de Ianſenij erroribus ſuſpecto conferendas, niſi priùs illi ſectæ renuntiaſſet penitus, debitamque Sedi Apoſtolicæ obedientiam iurameno ſpopondiſſet. Quod labanti Eccleſiæ decretum, exhibitumque ſubſidium tanti fecit INNOCENTIVS X. Pontifex Maximus, vt & Archiducis zelum collaudauerit magnoperè, & ad inſiſtendum benè cœptis ſcripto Apoſtolico ſit adhortatus: cuius verba, quia ad rem præſentem apprimè faciunt, integrâ fide ſubijcio:

LEOPOLDVS illam conuellit Decreto ſuo:

Venerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Spectatus nobis per omnia in fraternitate tuâ Catholicæ Religionis cultus, eiuſque ſeruandæ ac tuendæ accuratus ac ſollicitus zelus; ingenitus ille Auſtriaco generi, ac planè coalitus, exemplo nunc ſeſe præcipuo probat, quod nuper dilectus filius Abbas S. Anaſtaſiæ datis ad Nos litteris retulit, de tuâ nimirum prouidâ curâ atque operâ, vt Apoſtolicæ Sedis mandatis obtemperetur in ijs, quæ ad Ianſenianam doctrinam ſpectant; vtque ad Eccleſiarum in Belgio Epiſcopatus apti viri, atque Apoſtolicis Decretis, illiſque præſertim, quæ Catholicam Fidem reſpiciunt, obſequentes ſine morâ nominentur. Hæc ſanè omnia ſingulari noſtrum animum affecere lætitiâ, eoque fraterni-

proptereà ab INNOCENTIO X. laudatus.

 terni-

ternitatem tuam intimo Pontificiæ charitatis sensu complectimur, ac mirificè commendamus: vehementer hortantes, vt hæc ipsa Nobis pergat impertiri solatia, suæque ipsius pietati insistens, quod impensè facit, incolumitatem Religionis, Romanæque Ecclesiæ dignitatem, pro eâ quâ pollet auctoritate, sartam tectamque omni studio esse velit. Et verò Nos probè nouimus, quàm anxiè ad ea, quæ pro Dei causâ sunt, Fraternitas tua animum adijciat, sapienter intelligens, cautum exinde perpetuò fore & populorum saluti, & Regnorum firmitudini, & regnantium felicitati. Plura in eam rem Abbas tibi significabit; quem integrâ abs te fide dignari peroptamus, & Fraternitati tuæ à Domino peramanter benedicimus. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die IX. *Septemb.* M.DC.XLVII. *Pontificatûs nostri anno tertio.*

Vt penitus exscindat, primùm patronos eius amicè hortatur, vt Regis in illâ rescripta, & Pontificis Decreta obseruanda curent:

Quâ re, genio ceteroquin suo naturâque ad promouendam Dei causam incitatus Princeps, maiores etiam sumpsit animos ad eam luem penitus exscindendam. Ideoque acerbum vulnus primùm leniter tractandum ratus, Capita, quæ malo auctoritatem facere videbantur, remque Iansenianam magnis expensis toto Belgio promouebant, quà per se, quà per alios primæ dignitatis viros est adhortatus, vt mandatis Regijs, quæ Iansenianam sectam extirpari imperabant, & Sedis Apostolicæ Decretis, in eos errores sacro anathematis fulmine armatis, se pronâ obedientiâ subijcerent. Cùm infra votum profecisset, coëgit arcanum Ministrorum consilium; aduocauit Antistites; de seruando tractandorum silentio iuramentum exegit; moxque iussit Catholici Regis litteras recitari, quibus Bullæ Vrbani VIII. contra perniciosam Iansenij doctrinam editæ & publicatio & executio mandabatur.

His igitur fultus præsidijs, animosè pesti vltimum excidium indixit, dato ad Episcopos & Vicarios Decreto,

pari-

parique ad Concilia & Prouinciarum Tribunalia, ac demum ad omnem populum vniuersali edicto, quibus iubebantur die xx. Martij vno eodemque, toto Belgio Pontificiam Bullam consuetâ solemnitate promulgare, Iansenij Augustinum, & si qui alij essent illius pestilente halitu afflati libri, in manus Ordinariorum consignare; latâ in eos, qui parêre detrectarent, pœnâ, primùm quidem centum sexaginta sex nummûm aureorum, deinde verò sexennij relegatione. Quòd si legis transgressor Religionem non mendicantem professus esset, cum Superiore mulctaretur; si mendicantem, ablegaretur. Atque hoc fuit supremum vulnus, quo Serenissimus Archidux venenatam illam hydram afflixit, ac omnino deposuit. Ita zelosissimus Princeps omnes partes boni Antistitis, populorum desideria, Pontificum præsagia, Maiorum exempla, Parentis supremi monita, & sancti Augustini votum, *Vt omnis minister Dei sit ignis ardens, vrens fœnum*, sanctissimè adimpleuit.

deinde iubet vbique promulgari, & obseruari Bullam Pontificiã,

statutis in refractarios pœnis.

S. Aug. in Psal. 103.

CAPVT III.

Directa in Deum intentio.

PRincipum symbola & gnomas excogitarit ambitio; contexit illa virtus. Dum angusto circumscripti spatio spectari orbe toto non possent, picturas sparserunt, quibus veluti per vmbram exhibiti, cultum venerationemque omnium impetrarunt. Sed qui oriri omnia ex vno, & in vnum redire intelligunt; dum potiores affectus suos loqui non valent omnibus, per animi interpretem penicillum exponunt.

LEOPOLDVS *intentam Deo mentem suam*

Hinc ergo Serenissimus Archidux Crucis (quam in symbolum assumpserat) dextero cornu oculum appinxit; quo,

quo, cuius teneretur obsequio, cuius regeretur auspicijs, indicabat. Eò enim tendebat affectu, vnde omnia dependent. Quare quod mortuis signauit coloribus, viuis expressit exemplis. Quòd si enim animi rectà in Deum intendentis ea potissimùm sunt argumenta, formidine pœnæ (quod rudium & infirmorum est, animo tamen Deo adhærentium) lethali culpâ abstinere; spe remunerationis futuræ impensa Deo præstare obsequia; eidem quia Deus est, quia infinita bonitas, & omni modo dignissimus, & vota nostra beneficijs præuenit, deseruire: nihil est quod in Serenissimo Principe ad intentionis puritatem desiderare possis, nisi quod infirmorum illum gradum longè valentiore animo superauerit. Nam tametsi semper iam inde à tenerioribus annis culpam omnem grauiorem veneno magis horruerit; id tamen suo, quo in Deum ferebatur, affectui non erat satis, nisi etiam leuiorum faciliorumque culparum assiduum metum adiecisset: quo quidem nondum supra communem proborum hominum sortem euàsisset, nisi etiam peculiari se voto Deo obstrinxisset, in rerum agendarum deliberatione semper ei parti accedere, quâ maior Dei gloria affulgeret: idque eo agere in Deum affectu, qui & perfectissimus videretur, & Deo futurus gratissimus. Quod suâ ipse manu in Propositorum spiritualium libello contestatus est.

symbolo exprimit oculatæ Crucis,

& Timore Domini;

imò voto de maiori Dei gloriâ.

Etsi verò commendabile sit benè agere vt præmiêris; quantò tamen plus laudis promeretur, citra spem præmij in Dei obsequium incumbere. Atque hoc protestatione sanctâ, quam suâ manu conscriptam vsque ad vltimum spiritum de collo gestauit Serenissimus Archidux, cum Deo iniuit, *Paratum se beatitudinis æternæ præmio carere, imò tormentis cruciari æternis (nullâ tamen suâ interueniente culpâ) modò maioris Dei gloriæ inde emersuræ spes affulgeret.*

geret. Iam verò quàm Deo suæ ipsius bonitatis dignitatisque causâ placere studuerit, ex ijs ipsis intellige, quæ suo calamo partim in libello, partim in schedis de collo gestatis annotauit, quæ integrâ fide hîc inserere placuit. *vel cum suâ, innocentis, iacturâ æternâ.*

In dirigendis ad Deum operibus meis hunc modum seruabo.

1. Ad ipsum dirigam: *Hoc est: Faciam vt ipsi hoc agendo obediam; id quod etiam agerem, si oppositum concederetur.* *Hanc intentionem scripto firmat.*
2. Amplificabo. *Dicendo hæc aut similia O vtinam, Domine mi, in huius actionis præmium mererer pro amore, honore, & gloriâ tuâ, ac salute animarum, acerbissimis martyrij tormentis affici!*
3. Eleuabo finem. *Intendendo ea agere ex motiuis summæ perfectionis; illis nempe, quibus sua Deo exhibuerunt Sancti, & omnes perfecti, beatissima Virgo, & Christus ipse: gratulando de eo, quo in similium actionum præmium Dominus meus, beatissima Mater, & omnes Sancti fruuntur; cum ardenti desiderio eò pertingendi, meque Deo strictè vniendi, vt à me numquam offendi possit.*
4. Vniam cum operibus Christi & Sanctorum, *vt tanto sint diuinæ Maiestati gratiora.*
5. Petam gratiam, *vt opus hoc maximâ quâ possum perfectione peragam, quo ipsi magis placeam, vnamque eius gloriam intendam.*

Aliæ breues operum directiones, cùm prolixiorum tempus non suppetet.

Manè. *In te, suauissime Deus, per te, de te, & tecum incipiam, & complebo, & omnia faciam.*

Ad cibi sumptionem. *In te Domine mi, per te, de te, & tecum loquar, & collætabor.*

Ad somnum. *In te, per te, & tecum, Domine mi, dormiam, & requiescam.* Cùm verò compendiosis hisce, sed magni affectus aspirationibus eo solo tempore vsus sit, quo illi grauissima negotia spatium eripiebant; dubitare non licet prolixioribus vsum, quando occupationum moles tempus concedebat: quoquò enim iter agebat, libellum, quo illas complexus erat, deferri, sibique proponi semper imperabat. Eæ autem sic habent:

& protestatione perpetuâ,

Deus meus, finis meorum finium, principium, esse, & vita felix ac perennis animæ, cordis & corporis mei. Ex te venio summum meum bonum, in te viuo, per te respiro, auram à te haurio tam corporalem quàm spiritualem. In te & per te moueor, mouebor, & operabor semper. De te, & per te cogitabo: de te, & per te loquar: per te, & in te feliciter terminabo, & vitam meam, & omnem finem, votum ac desiderium meum.

Tu summum meum bonum, amatus scopus cogitationum & desideriorum meorum, & horum fomentum ac plena satietas.

Tu finis & constans auditor sermonum meorum, & eorum materia amœnissima.

Tu meorum operum assistens perpetuus & immutabilis, indissolubilis socius, finis, meta, & terminus.

Tu nutrimentum & perfecta satietas meorum affectuum. Tu delectatio meorum sensuum: & denique tu Deus meus obiectum vnicum & diuinum mearum facultatum.

Tu ergo summum meum bonum, cùm sis qui es, verè es mihi indignissimo omne complementum, & satietas perfecta, & æterna Ego ergo & titulo iustitiæ & seruitutis, quam non solùm tibi debeo, sed etiam perfecto amore reddere intendo, ob id solùm, quia es qui es, denuò me & millies & millies in præsenti totum tibi dono, dedico, sacrifico, & in holocaustum intus & foris, semper & pro semper, tam in tempore, quàm in æter-

in æternitate offero: ideoque hac coram Diuinâ Maiestate tuâ protestatione obstringo tibi omnes meos fines cuiuscumque seu minimi seu maximi negotij, quod cogitabo, loquar, aut agam; & quidquid ab animâ, corde aut corpore indigni tui serui tantum tibi totque titulis obstricti prodierit. In horum ego principio, medio & fine protestor nunc pro tunc, & semper, me non alium finem intenturum, quàm vt tibi, mi Deus, obediam, tibi placeam gloriam tuam promoueam, & ad te diuinâ tuâ gratiâ auxiliante perueniam.

Quod vt obtineam, adnitar tuo adiutus auxilio, ea in suo genere quàm perfectissimo modo peragere, quia hoc vnicum tuum est beneplacitum: in quod vnum intentus, & nullum alium ob finem protestor nunc & pro semper, me ea inchoaturum, prosecuturum, & ad finem deducturum.

Si quando verò operum meorum principio, medio, aut fini sinistra quæpiam intentio irreperet, quæ aut beneplacito tuo aduersaretur, aut non attingeret genuinam perfectionem, quam tu Deus meus à me deposcis; effundo cor meum, & protestor æterno hoc charactere, nunc pro futuris temporibus, me numquam tam fallaci fini vel in minimo consensurum: imò nunc pro tunc tibi quàm arctissimè possum obstringo, quam tuâ gratiâ hausi, firmissimam voluntatem quæcumque opera eo fine peragendi, qui perfectissimus sit, & quòd summè tibi placeat, acceptissimus.

Prætereà, si quando mihi vel amoris, & commodi proprij, vel superbiæ, ambitionis, hypocrisis, humani respectûs, aut cuiuscumque sinistri affectûs motiuum irreperet, contestor me cum auxilio diuinæ tuæ potentiæ, actum contrarium, quàm potero perfectissimum eliciturum: hocque propositum meum spondeo me constantissimè executurum, vt singulis meis operationibus quæram maiorem tuam gloriam, intendam tuum beneplacitum, obediam tibi solùm; quia tu es vnicum bonum

 meum,

meum, quia es qui es, & eris ſemper. Et quæ hactenus proteſtatus ſum, ſpondeo me, aſſiſtente tuâ gratiâ, quantumcumque in contrarium nitantur, ſiue in vitâ, ſiue in morte, ſeu viſibiles ſeu inuiſibiles inimici mei, vſque ad vltimum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè ſeruaturum: denuò conteſtans, me nullo alio mouendum, ſeu in vitâ ſeu in morte, ad operationes ſenſuum, affectus potentiarum, paſſionum motus, cogitationes, verba, aut opera animæ, cordis & corporis mei, quàm vt tibi Deo meo obediam, tibi Domino meo ſeruiam, maiorem tuam gloriam in omnibus & ſingulis ſemper procurem; cum intimo deſiderio, ad te vnicum meum finem, peccatricem hanc animam meam, cùm à te, per te vinculis carnis ſoluta & vocata fuerit, perfectiſſimo modo, quo adiuuante tuâ gratiâ potero, dirigendi; iis nempe affectibus, quibus IESVS *meus in in Cruce animam ſuam in manus æterni Patris conſignauit. Quemadmodum etiam in prædictis cogitationibus, verbis & operibus totius vitæ meæ, eoſdem fines & perfectionem intendo, quos in ſuis* IESVS *meus intendebat abſque omni reſpectu ad aliud commodum, quàm ad maximè tibi placendum, Deus meus, tuamque maiorem gloriam promouendam, tametſi hoc, ſaluâ tuâ gratiâ, cuiuſcumque boni iacturâ parandum eſſet.*

Secundò, pariter intendo eam perfectionem & eximios fines, quos in ſuis actionibus beatiſſima Virgo MARIA, *mater tua, & Domina mea, & omnes Sancti, ſpecialiter Patroni & Aduocati mei intenderunt. Atque hæc ſeruaturum me ſpondeo vſque ad finem vitæ meæ, ſingulariter in mortis articulo. In quem finem propriâ meâ manu ſubſcribo, vt pactum hoc ſit firmum, ſtabile, & immutabile, retentâ ſolùm poteſtate, id ad maiorem perfectionem & ſublimitatem eleuandi, vt tibi Domino meo, beatiſſimæque Virgini* MARIÆ *gratius reddatur: ideoque me intimè animabo, tibique illud cantabo ſæpiùs: O ſummè Deus, ô finis meus! quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram?*

terram? O cordis mei gaudium! O quando! ô quando! ah amor meus! ah cor meum! Fac mecum voluntatem tuam, glorificetur in me Deitas tua, pasce me & satia me, donec Spiritus meus sit Deus meus, cor meum IESVS *meus, calor vitalis meus amor Spiritus sancti, qui est verus ardor, amor & fomentum vitæ meæ. Quam ob causam identidem tibi Deo meo, Vni & Trino, viuo & vero repetam: Tu Principium principij mei, tu medium, progressus, tu finis finis mei.*

Per te, vita mea, & in te initium duxi: per te, & in te cum diuinâ tuâ gratiâ progrediar: per te & tecum facio, & exequar finem operis mei. O desideratissime, exspectatissime, & iucundissime finis! ô finis meorum finium, & principium, medium & finis omnium meorum finium Die 22. Augusti 1639.

LEOPOLDVS GVILIELMVS.

Quæ quidem & magnificum de Deo sensum loquuntur, & tenerrimum affectum cordis manifestant: qui si vel in homine subducto ab vrbibus, & in siluas, aut sanctitatis Cœnobia seuocato reperta, miraculum pariunt; quem demũ sensum excitabunt de Principe, cuius vita fuit semper negotiosissima, & bellorum rerumque publicarum moderationi affixa? Sed nondum satis se obstrinxisse Deo existimauit ardentissimus Principis animus, nisi quæ generali quodam fœdere sanciuisset, eadem ad particularia nouo pacto reuocaret. Quare biennio pòst DECRETVM SPIRITVALE condidit, quo de omnibus penè, qui cogitari possunt, corporis animique motibus disposuit. *& nouo spirituali decreto ac fœdere cum Deo.*

Ne sit otiosa, quam Deus mihi concessit, facultas, cum sua gratiæ opitulatione, ob excelsum ei placendi finem, amandi maiorem eius gloriam, & honorem in omnibus quærendi, eum magis magisque adorandi, colendi, seruiendi, eo nomine, quia est qui est, eritque semper; gratum animum exhibendi ob tot eximia mihi præstita beneficia, specialiter, quòd Verbum

ſuum æternum, & in eo infinitum bonorum pretium mihi contulerit; proque omnibus, quæ ſanctiſſimæ humanitati Verbi, beatiſſimæ ſuæ Matri, omnibus Angelis & Beatis in cælo, omnibus creaturis in terris conceſſit; impetrandi denique à Diuinâ ſuâ bonitate, tum omnibus creaturis, tum miſero mihi & indigo, tam in vitâ, quàm in & poſt mortem, auxiliorum gratiarumque abundantiam: ſancio cum Diuinâ Maieſtate pactum perpetuum de minimo quocumque motu, interno & externo animæ, cordis & corporis mei, de omni aſpiratione & reſpiratione meâ æquè dormientis ac vigilantis, vſque ad vltimum vitæ halitum vt infrà apertius explicabo; deque omnibus & ſingulis omnium quæ ſunt & erunt creaturarum motibus, influentijs, & effectis cælorum, planetarum, & elementorum; motibus omnium animalium, quæ ſunt, erunt, & fuerunt; rerum creatarum & creandarum motibus naturalibus, artificilialibus & violentis, quotquot ſunt & fuerunt; de guttis aquæ, in labentibus de cælo pluuijs, in fontibus, fluminibus, & Oceano; de frondibus, floribus, & fructibus arborum ac plantarum, quos vmquam terra germinauit aut germinabit; de arenulis, quæ ſunt ſiue in terrâ, ſiue in mari; de atomis qui ſunt & erunt in aëre, de momentis temporis præteriti, præſentis, & per totam æternitatem futuri; & in præſenti de motibus tympanorum, de verbis & actionibus per omnia bella publica & priuata, & Regnorum ac Principum diſcordias exhibitis, & exhibendis. Quod fœdus, hoc Decreto initum, volo vt cum Diuinâ gratiâ in totam æternitatem extendatur. Quod præcipuè intelligi volo de ſingulis actibus adorationis, amoris, laudis, & alterius cuiuſcumque, hoc fœdere exprimendis, quos vmquam exercuerunt vel exercebunt Angeli, Beati in Cælo, ſanctiſſima Dei Mater, humanitas Chriſti, ac Deus ipſe, præſertim erga ſe ipſum: in his omnibus & ſingulis (quos appellabo ſigna mea) intendo cum

gratiâ

gratiâ Diuinâ, & in virtute huius protestationis, per omnem æternitatem, actu, quantum ab homine fieri potest, exercere, renouare, & exhibere suæ Diuinæ Maiestati supradictos suos perfectissimos actus, vnitim omnes, omnia fœdera, signa, pacta, obligationes spirituales, inuentiones amoris, exercitia orationis vocalis & mentalis, omnes directiones Spiritus, præparationes ad Venerabilem Eucharistiam, & post eam gratiarum actiones & oblationes; musicas, cantica, laudes spirituales, psalmos, hymnos, & benedictiones, actus, opera, obsequia, & cruciatus Deo gratos; & quidquid huic pacto conforme est vmquam inuentum, scriptum, aut typis mandatum; singulariter quotquot in Deum directi sunt actus cognitionis, æstimationis, cultûs, & reuerentiæ, adorationis, amoris, gratiarum actionis, laudis & benedictionis.

His adiicio actus & protestationes Fidei, Spei, Amoris, contritionis, oblationis, resignationis, gratiarum actionis, petitionis, qui vmquam sunt inuenti, excogitati, dicti, scripti, typis mandati ab omnibus totius mundi creaturis, iustis, Angelis, & Beatis, sanctissimâ Dei Matre, ipsóque IESV *Christo Deo meo, cum omnibus affectibus & effectibus amoris, quos expressit in suâ sanctissimâ humanitate per opera heroica; quosque exprimere non potuit, eò quòd non par esset infinito voluntatis affectui robur corporis & facultas.*

Adiicio deinde quidquid fecit & faciet Deus, quà Deus est, me secundùm mensuram gratiæ ab ipso mihi datæ (quam vnicè desidero & imploro) facturum; sed etiam, quoad potero, actualiter renouabo, & exhibebo cum omnibus sublimissimis motiuis, & perfectissimis finibus, qui suæ Diuinæ Maiestati plus complacentiæ & gloriæ adferre possunt; ijs dico, quos Deus ipse inuenire potest; & dirigo ad honorem & gloriam suam maiorem, ad venerationem Augustißimæ eius Matris Dominæ meæ, omnium Angelorum & Beatorum, ad liberationem animarum

marum de pœnis Purgatorij; ad salutem omnium creatorum & creandorum hominum, & miserrimæ animæ meæ; ad conuersionem Turcarum, Maurorum, hæreticorum, infidelium & peccatorum, qui sunt & fuerunt; &, si liceret dicere, ad inferni cruciatus damnatorum, eorumque blasphemias & desperationes auertendas: pro meis aliorumque peccatis, imperfectionibus, passionibus, pœnis, tentationibus, & distractionibus, pro quibus omnibus & singulis, cùm obuiare aliter non possim, intendo vi præsentis protestationis plus millies & millies Diuinæ suæ Maiestati virtualiter, multò verò maximè actualiter offerre, renouare ac exhibere in tempore & æternitate, omnes supradictos actus; cum desiderio intimo, vt malè commissa commutentur in riuos & veros affectus infiniti amoris, obsequij, & laudis diuinæ; cum humillimâ petitione veniæ, illuminationis ac veræ emendationis, præsertim mei plus ceteris ærumnosi; cum affectu te dictis oblationibus & renouationibus plus delectandi, quàm vmquam vllo peccato offendaris; quem cùm exprimere non possim, vtor signis meis, cùm efficere non valeam vt facta sint infecta; quod equidem ardentißimè desiderarem, vitamque ipsam & sanguinem ad extinguendum eorum quodlibet profundere.

Atque hoc fœdus cum Deo meo erectum, vi huius protestationis ac decreti extendo non solùm ad vitam, sed etiam ad mortem, & secuturam æternitatem obseruandum in quolibet prædictorum signorum in perpetuum: desidero enim, cùm putre hoc corpus in terram diffluet, & anima piacularibus flammis cruciabitur, aut etiam æternis (quas promerita est) gratiam te non offendendi Deum meum, sed magis ac magis semper amandi & laudandi, in virtute singularis tuæ gratiæ, ac huius fœderis, etsi acerbißimis cruciatibus, ac etiam æternis, citra vel leuißimam tui offensam, me torquere placuerit, ecce me promptißimum obsequi; dummodò infinita tua bonitas per hasce

meas

meas oblationes, signa, & renouationes diligatur magis, ac laudetur, ampliorque inde tua gloria, ac animarum salus resultet. Quæ si diuino tuo affectui mihi immittere placuerit, ô felicem me, si per me augeatur gloria Dei mei, & per meas pœnas eius honori accedat! toto cordis affectu exclamabo:

Lætor, & ingentes refero mitissime grates
CHRISTE *tibi: sit parta meis tibi gloria pœnis.*

Quoniam verò vbi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris; testamentum enim in mortuis confirmatum est: volo vt hoc meum desiderium, & voluntatis decretum, gratiâ tuâ excitante conceptum, & hac protestatione expressum, non solùm in vitâ & mortis horâ vigorem habeat, sed etiam post mortem meam, & tunc vel maximè plenæ executioni mandetur. Denique supradictos omnes actus repono in cor & manus Domini mei IESV *Christi, & sanctissimæ eius Matris; in quibus ad maiorem perfectionem & sublimitatem, ad maius beneplacitum, & eorum gloriam, quam vnicam quæro, euehantur: cum quâ perfectione ac sublimitate, volo eos Diuinæ suæ Maiestati à me toties quoties & semper renouari, non tantùm meo vnius nomine, sed omnium, etiam futurarum creaturarum loco, quæ id tibi numquam sunt præstituræ, qualibet harum renouationum vim habeat omnium simul coniunctarum. Nam quidquid cum auxilio gratiæ honori Dei mei exhibiturus sum, volo id magis ac magis & in infinitum crescere, in singulis actibus, & punctis temporis, magis verò in articulo mortis; ac multò maximè, si quâ vi morbi, aut quauis aliâ causâ mens mihi eriperetur, vt quod efflictim desidero, præstare non possem, nunc pro tunc, & semper, sanctissimè protestor. In cuius rei fidem propriâ manu subscripsi. Viennæ* XIX. *Maij, Anno* M.DC.XLI. LEOPOLDVS GVILIELMVS.

Satis hîc expressam habes erectæ mentis celsitudinem, quâ Serenissimus Princeps, ad Religiosorum virorum in-

quod collo appensum gerit.

uidiam, se diuinæ immiscebat: quam si vel scriptam admiraris, multò magis obstupesce profundissimè pectori impressam, adeoque curæ habitam, vt hierothecæ inclusam, cordique applicatam, inter eas delicias numerauerit, quibus viuus carere non posset. Vt non immeritò eum sacer Ecclesiastes in Panegyrico funebri oculato Cherub in Deum semper intento comparauerit: *Obseruemus*, inquit, *non fabulosum quemdam Argum, sed cæleste vndequaque oculatum Cherub, Serenissimum Leopoldum: ille enimuerò oculo, quem Asceta, & sacrorum oraculorum interpretes puram, & rectâ semitâ in Deum euolantis animi intentionem nominarunt; quo & diem auspicabatur, & terminabat, suarum actionum eminentiores fines prospiciebat: nunc lateri suo assistentem Tutelarem Genium intuebatur; nunc Deum Diuosque familiares repetitorum suspiriorum metam spectabat: quo discernebat prauitatem, vt auersaretur; scrutabatur honestatem, vt impensiore semper affectu complecteretur: quo sanctâ quâdam circumspectione totum animum sepiebat, & horarum omnium, negotiorum ac moliminum rotam circumscribebat.*

In Oratione funebri de illo, meritò commendatur.

Quod repetitis indies crebris & viuis affectibus animabat:

Neque mortuos tantùm characteres existima, quos ille quotidie de somno vigil, priusquam belli aut gubernationis negotia aggrederetur, secum eodem quo concepit affectu, repetebat: sæpiùs per annum, maioribus præsertim solemnitatibus, aut in priuato conclaui coram pendentis de Cruce Dei imagine, vel ante sacrum Eucharistiæ Epulum renouabat. Ipsas diei horas, ipsa negotiorum fastidia frequentibus ad Deum aspirationibus distinguebat: quam in rem ipse sibi complurimas, easque tenerrimi affectus, in libellum congessit. Obseruauit Religiosus & incorruptæ fidei vir Serenissimi Principis arcanorum conscius, à coactis in consilium Ministris

maximè aliquid decreturus in Concilio Procerum:

ſtris moræ veniam poſtulaſſe, quâ ille interim in conclaue ſeceſſit, proſtratus coram Deo (vt poſteà eidem affirmauit) conteſtatus eſt, ſe vnam eo conſilio Dei gloriam moliri. Quam vellem etiamnum hodie hanc conſuli à Principibus cortinam, à quâ pura & defæcata veritas, & rebus publicis profutura conſilia ſperari poſſunt. Extra Deum nihil geritur ſecundo omine: intellectus, quantumuis perſpicax, & ingenium conſiliorum fecundum, habet fatuos ſuos ignes, quibus Principum mentes trahit in ruinas & præcipitia.

hinc numquam pependit ab euentu.

At verò Lydium lapidem, quo explorari poſſit intentionis puritas, exhibent animarum magiſtri: In ſiniſtro rerum euentu animi ſerenitatem obtinere; nullis curis à conſcientiæ curâ auocari; titillatione comparatæ ſibi gloriæ non tangi; iudicijs hominum, quantumlibet ſiniſtris, non moueri; nullo inuidiæ affectu alienam gloriam intueri: quæ quia aliàs tetigimus, attentus Lector facilè ſibi in memoriam reuocabit. Duo tamen præterire non poſſum: quorum altero, quantum tumorem mentis futilibus geſtientis oppreſſit, tantum cui hæreret affixus voluntate, oſtendit. Deuenerat ad eius manus neſcio quod volumen, in cuius fronte & Filius, & Frater, & Patruus Cæſarum appellabatur. Viliorem animum ſplendidi tituli fortè titilaſſent: at ipſe, *Vtinam*, inquit, *ita placeam Creatori meo, vt faciendo voluntatem Dei Patris, qui in cælis eſt, eius & filius & frater eſſe merear.* Adeò nihil ei laudis & commendationis accedebat, quod in primam omnis boni ſcaturiginem non reuolueret.

Glorioſa ſibi, ad Deũ ſemper retulit:

Alterum peremptæ inuidiæ eſt argumentum. Eodem, quo, poſitâ belli gubernatione, Sereniſſimus in Auſtriam conceſſerat anno, adfertur nuntium, Gallos ab obſidione Valencenenſi depulſos, & ingenti clade à Sereniſſimo

 Ioan-

Ioanne Austriaco affectos. Erat ex ministris fidus, eiusque rerum studiosus, qui optabat non priùs Belgio excessisse Archiducem, quàm hac victoriâ, ad quam & apparatum, & vires, & militum animos disposuerat, potiretur. At verò exultare illâ victoriâ Serenissimus Princeps, illam Deo referre, virtutem Ioannis Austriaci mirè extollere. Et quamquam rei gerendæ prouidisset ipse tum ingenti belli apparatu, tum animatâ Ducum militumque virtute ad omnia successoris imperia, fidamque operam; quasi tamen in eam rem gessisset nihil: quod cælo bonoque publico intentum decebat Principem; Deo gloriam, Ioanni Austriaco laudem dedit. Adeò qui supra ceterorum inuidiam eluctatus fuerat, suam sortem euexit altiùs, non inuidendo. Habes ergo Antistitem, cuius oculus intentus cælo, cuius cursus Dei gloria, cuius meta Deus ipse; neque te pudeat imitari, quod admirari delectat.

gloriosa alijs, etiam auxit commendatione suâ.

CAPVT IV.

Obseruantia & obedientia erga Sedem Apostolicam.

VT Summorum Pontificum erga Principes gloriosa est moderatio; ita Principum erga Pontifices illustre obsequium. Deus, qui Patris munus imposuit vni, omnes voluit filiorum affectu teneri, quem sequitur exequendi studium. Expedita est enim reuerentia, & obediendi promptitudo, vbi vel nutus imperantis se molliori affectui insinuat.

LEOPOLDVS *ab obseruantiâ in Apostolicam Sedē laudatur à Pontificibus Summis,*

Non enumero eximia Pontificum, VRBANI VIII. & INNOCENTII X. ALEXANDRI VII. encomia, quibus Serenissimi Leopoldi parendi studium ac reuerentiam erga Romanam Sedem extulerunt. Non adduco Belgij Archiepiscopos,

& alijs.

episcopos, Præsides, aut primarios Catholici Regis ministros, qui quo zelo, solicitudine ac prudentiâ debitam Sedi Apostolicæ obedientiam promouere studuerit, non semel obstupuerunt: certè is ipse, cùm non posset coràm, absens per delegatos sacris pedibus deferebat oscula, sacros recenter inaugurati fasces venerabatur; ad Iani Calendas secundum sine offensâ anni cursum augurabatur; frequentiùs debito, suorum Episcopatuum statum exponebat; & omnibus, quæ filium decebant, obsequijs pium Patrem, & Supremum in terris caput prosequebatur. Vrgebat aliquando publicæ calamitatis necessitas, vt, desiderio Augusti Fratris, manum à pedo ad arma transferret: vrgebat idem voto Catholici Regis miseranda facies afflicti Belgij. Dum neutrius auctoritati, neutrius patriæ necessitati reluctari liceret; obsequi tamen aliâ lege non voluit, quàm si id Supremus Christi Vicarius probaret: cuius demum approbantis iudicium imperij loco veneratus est. *& eam ipse abundanter exhibet:*

Dum in Belgio Rempublicam & exercitus gubernaret, remque strenuè pro Fide Catholicâ contra Iansenij errores ageret, existimaretque acuto morbo leuiter potiùs quàm violenter medendum, ne vis in conuulsiones insuperabiles erumperet; alias, quàm eius zelus cum prudentiâ coniunctus promerebatur, litteras à Romanâ Curiâ accepit, quibus de re, minore quàm Sedes Apostolica desideraret feruore actâ promotaque, culpabatur. Erant inter ministros Regios, qui seueritatis Apostolicam Sedem culparent, offensam Principis dignitatem acerbè sentirent, litteras pari sensu reponendas suaderent. At Princeps optimus nihil his temerè credendum ratus, nihil audendum feruidè, Patrem agnouit, cuius etiam supra meritum plectentis manum sensit: mulcere delinimentis *etiam cùm citra culpã suam reprehensus à Pontifice.*

potiùs voluit, quàm scripti acerbitate stimulare. Nudam rei seriem, quid, quo fine, quâ spe, quo euentu à se actum exposuisse contentus, ad cetera reuerenter siluit. Eadem causa afflixit ita grauiter Pontificis Internuntium, vt violentiæ metu se loco subduceret. Quantam Serenissimus Archidux Romano Patri obseruantiam exhibuit, tantam eius Legato curam & patrocinium impendit, securitatem spopondit, reuocauit, & ne quid pateretur defendit.

Eius dignitatē tuetur in Internuntio:

Adito Teutonici Ordinis supremo Magisterio, ingentia, quæ secum voluebat pro re Christianâ consilia, magno Dei in terris Vicario aperuit; cuius paterno maturoque iudicio stare voluit in arduæ deliberationis puncto, expediréine militaris huius Religionis tirones suæ virtutis experimentum mari tantisper contra iuratum Ecclesiæ hostem dare, donec à Romanorum Cæsare propugnacula decernerentur, quæ Ordo ille contra Othomannicam barbariem tueretur.

illi, creatus Ordinis Teutonici Magister, se defert & suos:

Quoniam verò quod quisque amat, amari gaudet; quam ipse in Romanum Patrem profitebatur reuerentiam, ad eamdem alios permouere nitebatur: quare pari studio effecit, vt complures Pontificum Bullæ, quas vel acatholicorum armorum insolentia eraserat, vel Catholicorum segnities obliuioni mandauerat, suo vigori restituerentur.

idem vt præstent, alijs auctor est,

Cùm id in extraneos egisset feruidè, in cognatum sanguinem ardentissimè præstitit. Serenissimum enim Carolum Iosephum Archiducem destinandum sibi in Episcopatibus Passauiensi, Olomucensi & Vratislauiensi successorem, ad æternum Romanæ Sedi exhibendum honorem ac obedientiam, prolixè est adhortatus, eoque nomine tamquam Sedis Apostolicæ filium ALEXANDRO VII. commendauit. Quibus contestatæ reuerentiæ argumentis eam

maximè Nepoti suo Carolo Iosepho:

eam sibi Pontificum beneuolentiam conciliauit, vt ex Germaniâ nemo, nemo ex Belgio illustriore sanguine oriundus ad pedum osculum venerit, ex quo non illicò quærerent Pontifices, quâ vteretur valetudine optimus & obedientissimus filius & frater Serenissimus Leopoldus Guilielmus: nemo in illas regiones rediret, quin salutem paternam cum prolixi affectûs testificatione, cum sacris muneribus & Sanctorum lipsanis adferrent. *id eoque Romanæ Sedi in pretio est.*

CAPVT V.

Reuerentia erga Sacerdotes, ac Religiosos, eorumq́ protectio.

QVi Deum familiariùs tractant, præscriptione quãdam vitæ sanctimoniam profitentur. Reuerentia, quam in Principes extorquet metus, in Sacerdotes, virosque Deo consecratos spontè fluit. Dignitas ipsa venerationem rapit, siue quòd munus sit Deo proximum, siue quòd (vt loquitur Petrus Blesensis) *sint populo vitæ specula, sanctitatis exempla, oculi cæco, pedes claudo, deliciæ plebis, dij Pharaonum, Ministri Altissimi, Vicarij Christi Domini.* Horum reuerentiam innatam credas Leopoldo. *Deo sacros homines* LEOPOLDVS *reuerenter habet à teneris.*

Non memorabo quo puer affectu occurrerit, quâ suauitate exceperit, quâ modestiâ sit allocutus; ne tribuatur naturæ quod erat virtutis, nescio quid cæleste ac diuinum in Sacerdote religiosoque viro aspicientis. Erat enim eiusdem cum Augustino opinionis, cuius verba recitabat sæpiùs: *Si cum Sacerdote occurreret Angelus, priùs Sacerdoti quàm Angelo honorem esse exhibendum.* Hinc Deo consecrati viri, primæ semper fuerunt admissionis: qui ne ministrorum seu incuriâ seu iniuriâ ad secundam tertiámve admissionem *illis in audientiâ primas defert:*

missionem retruderentur, ipse in admittendorum capite eos collocabat; vt qui apud Deum sunt primi, non essent accessu postremi. Conscientiæ suæ arbitrum eâ reuerentiâ obseruabat, quâ filius patrem: occurrebat aduentanti, excipiebat nudato capite, sedem ipse iudici suo locabat, è quâ sententiam gratiæ pronuntiaret. Si quando procederet in publicum, vbi fastus plerumque Principes comitatur, ad cetera non admodum curiosus, si tamen Ecclesiastici quempiam, aut sanctioris Ordinis virum conspexisset, præ ceteris reuerentiæ signo honorabat.

Confessario suo in omnibus:

At nemo tam sanctus est, quem non tangat calumnia. Vt in sole quæruntur maculæ, sic in optimis, quæ dehonestent: si non suppetant, confinguntur. Nemo non ingeniosus est, vt noceat. In tantâ tamen passim calumniatorum libidine nihil quisquam in Deo sacros homines ausus est, præsente Leopoldo: vel si tentabat impudenter, cum indignatione est repressus.

illos contra calumniantium morsus tuetur:

Multum in eâ re contraxêre debiti complures Religiosi Ordines; plurimùm verò Societas IESV, quam non vno loco non vno tempore, auctoritate suâ, calumniatorum dentibus exemit. Ausus est vir, aliàs & religionis & doctrinæ nomine conspicuus, prætexto charitatis, optimique affectûs pallio, rei ceteroquin non grauis, grauiore tamen vehementiâ Societatem culpare. Illicò Princeps mutare vultum, & ipso frontis colore, quàm sibi esset ingratus sermo, demonstrare. Cùm enim mordaces linguas numquam amasset, in Religiosos acutas minimùm tolerabat: non sufficiebat importuno oratori redarguendo frontis species immutata, donec grauioribus, moderatione tamen ac reuerentiâ mixtis verbis repressus, didicit sinistras animi opiniones numquam tutò in boni Principis aures effundi.

maximè qui de Societate IESV in Belgio,

Gra-

Grauius Societatem Vratislauiæ premebat discrimen. *in Germaniâ,* Auctoritate Cæsareâ huc inducta Societas, hæreticæ ciuitatis amores numquam imperrauit; abesse semper malebat, quos numquam non oderat. Votis fauere peruersorum videbantur tempora. Omnem circum regionem tenebat Suecorum ferocia, quorum ciues nitebantur potentiâ: sed breui tempore funesta illa nubes dissipata est. Excellentissimus Comes Bernardus Ignatius à Martiniz, quo candido & constante in Societatem affectu est, per amicas litteras Collegij Rectorem erudit, appropinquare cum numeroso exercitu Serenissimum Archiducem, spem certam esse dissipandæ Suecorum ferociæ, & rediturae serenitatis; concipiat proinde animos, etiam intestinam hanc tempestatem minas posituram. Et valuit in præsens malum scribentis auctoritas. Lectæ enim litteræ Domino Balthasari Henrico, supremi officij regij Cancellario, ab hoc Magistratui communicatæ, atrocem illam nubem omnino dissiparunt. Secuta est scribentis nuntium præsentia Principis, & adhuc priore metu trepidantes Patrum animos erexit; & vt horum apud populum augeret opinionem, maleuolorum terreret audaciam, primùm Sacris interfuit, ac Diuinum Epulum sumpsit, æquè cum Catholicorum solatio, ac hæreticorum pudore: deinde verò triclinium Patrum æquè liberalitate ac præsentiâ suâ recreauit, palàm testatus, se vnius maioris Dei gloriæ caussâ istuc approperasse, vt afflictis solatium adferret, oppressis auxilium.

Sed grauior ille turbo, qui Archiducis aulam ipsam inuaserat. Mordebat æmulorum oculos eorum æstimatio, quos ab animæ suæ obsequijs habebat: timebatur, ne quæ grauior tempestas in vniuersum Ordinem effunderetur. Hîc Leopoldus (quâ erat morum verborumque *& qui LEOPOLDO ab obsequijs ante spiritualibus:*

suauitate) solari primùm afflictos; spondere deinde, cùm sibi constaret, nihil omnino esse quod in Patrum moribus ac vitâ citra calumniam culpari possit, se non solùm eos quos in obsequijs haberet, sed totius Religionis, quam ipse haberet perspectissimam, famam æstimationemque constanter protecturum. Neque verò magis facundus fuit verbis, quàm fecundus opere. Prodierat in lucem dignissimus tenebris liber, cuius characteribus non tam papyrus atrabatur, quàm Societatis innocentia denigrabatur. Ad Serenissimi manus delatus affectum patroni reperit: solicitus enim illicò, ne in Principum aulis sequiores affectus excitaret, castigatum ad marginem Patri Alphonso de Heredia ex eâdem Societate, quem negotiorum causâ ad Aulam Hispanicam ablegauerat, transmisit; ad quem in hæc verba perscripsit:

Librum famosum in Societatem suâ ipse manu ad marginem castigat;

Mitto vestræ Paternitati hoc scriptum, quod concernit Societatem; & licet plenum sit calumnijs ac falsitatibus, posset tamen quibusdam sinistram aliquam opinionem ingerere; ad quod euitandum, optimè & ex fundamento ad marginem respondetur. Possum ego ipse testis esse, quàm falsæ & confictæ sint illæ calumniæ. Si vestra Paternitas quid audiat in hac materiâ, hoc scriptum ei seruiet pro directione: si minùs, satius erit proprio motu nihil mouere. Tornaco 9. Iunij 1655.

& in Hispaniam mittit, ibi, si visum esset, pariter castigandum.

Neque verò ita Societatem protexit, vt alias Dei Sodalitates opprimi sustineret. Nulla tam potentibus aduersarijs laborauit, quorum se machinis non obijceret protectorem. Verum est, sacratiores etiam aliquando Cœtus idem pati, quod descripta ad elegantiam corpora, quibus vt plurimùm, licet velatus, suus tamen adhæret næuus, qui symmetriæ totius pulchritudini non respondet. Id verò agebat Serenissimus Archidux, vt tegerentur vlcera, ne ad boni nominis iacturam paterent oculis extraneorum.

Alios etiam Ordines complectitur patrocinio suo,

Quin

Quin ipse affatu beneuolo officij commonebat, ne vel se turbarent animis, vel religionem confunderent. Hanc in rem subiicio secretam Leopoldi epistolam ad virum religiosum, cuius argumentum ex decursu intelliges: *ac benignè & priuatim monet officij, etiam Religiosum virum in particulari, datis ad eum litteris benè longis & verè paternis.*

Multa me tangit cura Paternitatis vestræ. Vellem enim eam cum anni auspicio, nouâ animi tranquillitate, &, quæ hanc consequitur, corporis potiri. Identidem memoriâ repetiui, quem supremum habui cum vestrâ Paternitate discursum: sed quia Maiestas Cæsarea aderat, non licuit omnia prodere, quæ animo gerebam. Suppleo præsentibus, eo animi candore ac sinceritate, quâ ad Paternitatem vestram semper vti soleo. Et dum hæc meditor, & deuotionis causâ amantissimum meum Thomam de Kempis voluo, in hoc Caput incido, quod descriptum, & his acclusum xenij loco transmitto, & confido vestræ Paternitatis solatio seruiturum; optoque toto affectu, vt nouas sanctasque cogitationes iniiciat. Quod omnino me impetraturum credo: Paternitas enim vestra, quæ pridem heroïco animo blanditias mundi reiecit, facilè intelliget, honores ac dignitates mundi esse meram auram, fumum, purumque nihil; seque limpidiore numquam animi voluptate potitum, quàm quando se Diuinæ Prouidentiæ gubernandam ex integro remisit. Tunc enim dicere valebat, Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. *Cur ergo nunc tantâ agitatur inquietudine, & animi turbatione? Sapienter Paternitas vestra in suo conclaui affixit lemma*: Militia est vita hominis. *Ideò sibi certandum existimet, vt victoriam obtineat.* Corona enim venit legitimè certantibus. *Doceant exempla Ducis nostri* IESV, *quâ sequaces debeamus esse constantiâ, ad mundi assultus reprimendos. Quæ opprobria, quas calumnias non tulit, à vilissimâ etiam hominum fæce? & tamen os suum non aperuit: idque pro nostrâ singulorum salute obtulit æterno Patri, cum absolutissimâ in eius voluntatem resignatione. Scio quid*

Paternitas vestra respondere possit: Se à suis Superioribus non grauatè laturam quidlibet: arduum tamen fore iniuriam tolerare à Protectore disciplinæ monasticæ ignaro. Dabo subesse aliquid rationi: sed punctum rei tangamus propiùs. Si Paternitas vestra adsit Capitulo Generali, aut ingerentur ea quæ præiudicent vniuersæ Religioni, aut quæ solam Paternitatem vestram affligant: (quamquam de neutro constet:) Si tangatur vniuersum corpus, omnes in sui bonum conspirabunt, & malum cum debitâ reuerentiâ declinabunt. Et tum non est consultum, Paternitatem vestram abesse, cùm possit suo suffragio Religionis bonum promouere. Si verò ab aliquo Paternitatis vestræ persona per iniuriam tangatur, ab ipsis suis Patribus experietur auxilium: neque ego in re honestâ manum subtraherem. Fingamus tamen, sed non concedamus, iniuriam aliquam Paternitati vestræ adferendam: quid demum viriùm habere illa poterit in virum religiosæ perfectionis studiosum? Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam; quoniam ipsorum est regnum cælorum. *Si Paternitas vestra ab hominibus deseratur; à Deo suscipietur. Dicat modò confidenter*: Dominus illuminatio mea, & salus mea; quem timebo? Deus protector vitæ meæ; à quo trepidabo? *Equidem crediderim, Paternitatem vestram aliud non desiderare, quàm vt in se voluntas Dei adimpleatur. Huic ergo consilio acquiescat: qui aliud quærit quàm purè Deum, & animæ salutem, non inueniet nisi tribulationem & dolorem. Non potest enim diu stare pacificus, qui non nititur omnium esse minimus, & omnibus subiectus: & hîc nemo potest stare, nisi ex toto corde se voluerit propter Deum humiliare. O quàm multas & graues tribulationes passi sunt Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, Monachi, Eremitæ, & reliqui omnes, qui Christi vestigia voluerunt sequi! nam animas suas in hoc mundo oderunt, vt in æternâ vitâ eas posside-*

possiderent. Non dubito, Paternitatem vestram reposituram: Facilè mihi esse hæc speculari, aliter sensurum, si eius loco constituerer. Fateor euenire id posse; quo tamen sum animo, numquam credam euenturum. Quisquis enim se Diuinæ Prouidentiæ totum (in hoc toto *consistit* totum*) committit, nec iniurias, nec pericula, nec molestias patietur: sed semper in hoc* toto *totus conquiescet. Neque dubitet Paternitas vestra, mihi quoque (si liberum campum hosti aperirem) grauiores causas interni sensus & animi inquietandi suppetere. Nouit enim, cùm Cæsaris nomine exercitibus præessem, quæ mei fuerit apud omnes æstimatio: nunc verò quàm à paucis suspicior? Ab ijs ipsis in rerum mearum bonorumque promotione pendeo, quibus anteà imperabam. Id tamen non admodum pensi habeo, postquam me Diuinæ regendum voluntati transcripsi; & cum patiente Iob dixi:* Dominus dedit *(honores, dignitates & opes)* Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum. *Non ignorat præterea Paternitas vestra, quæ totius mundi fama fuerit, me Belgij gubernationem obtenturum. Iam quis eò destinetur, Paternitatem vestram non latet. Nónne, si in honoris puncto arguterer, & mihi grauioris sensus materia præberètur? Sed suauis Diuinæ prouidentiæ gubernatio, cui me ex integro consignaui, animum mihi suauissimâ tranquillitate componit. Hinc intelligat, an otiosâ speculatione scribam, an durâ experientiâ. Concludo, & breuem Orationem subiungo, quâ semper à sumptâ Eucharistiâ me totum Diuinæ voluntati infundo*: Dominus meus, & Deus meus! quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Domine, quid me vis facere? paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ; fiat mihi secundùm verbum tuum, & beneplacitum tuum: tuus sum ego; fac de me quidquid vis in æternum. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia; fac vt me

totum amore amoris tui impendam, ſicuti te amore amoris mei impendere dignatus es. Sum totus tuus, ſicut tu totus meus eſſe voluiſti in æternum, Amen. *Hoc fiat dilectiſſimo meo Patri N. fiat, fiat. Viennæ* 3. *Ianuarij* 1643.

Debuiſſet illa tam neruoſè ſalubriterque conſulentis ſuauitas ſufficere ad excitatam turbati animi tempeſtatem componendam. Sed animus qui præter Deum quærit aliud, quem ſua magis quàm Dei tangit iniuria, nec ſatis habet ſolito bono, niſi ad imaginaria ſe fundat; quietem non obtinet, dum internâ ſuâ torquetur opinione magis, quàm moleſtiâ ab alijs irrogatâ.

At qui patrem ſe exhibebat omnium, debuit quandoque & iudicem agere. Tantum verò Eccleſiaſtici ſtatûs apud eum valuit reuerentia, vt iudex patrem non exueret. Cui ſecretâ pœnâ mederi poterat, ad publicam non protraxit; ne ipſâ medicamenti applicatione inſpectantes vulneraret. Sæpè enim exemplo ſumitur, quod pœnâ plectitur. Quod ſi verò ſpes affulgeret ſufficientis citra pœnam correctionis, monuiſſe contentus, abſtinuit pœnâ, vt ſuus Eccleſiaſtico ſtatui ſeruaretur honor illæſus.

CAPVT VI.

Vigilantia.

LEOPOLDVS *verè Epiſcopus, hoc eſt, inſpector plenus oculis, inſtar currus Ezechieli viſi, cap.* 1.

EZechielis currus vndequaque diſtinctus oculis, Eccleſiaſtici Principis, cui Dominici gregis commiſſa eſt cura, vigilantiam deſignat. Non vnam in partem abſumenda eſt cura, quæ in omnes diuidenda: ſic tamen præſtanda omnibus, vt tota ſingulis impendatur. Non vna ergo in hoc argumentum cura venit, quo penè ſolo bonus paſtor depingitur. Ea hic dabimus, quæ ſunt potiſ-

ſima

ſima tanti muneris; quæ Curionum vitam, mores, doctrinam, viſitationes, ſubſtitutos, conſiſtoria, eccleſiarum nitorem ac immunitatem concernunt.

Curiones igitur ad votum Diui Ambroſij epiſt. 6. ad Iren. eiuſmodi voluit, in *quibus nihil eſſet plebeium, nihil populare, nihil commune cum ſtudio atque vſu & moribus multitudinis; qui ſupergrediantur plebeias opiniones; & ſtrata quædam gregalis conuerſationis, & detritæ viæ orbitas declinent: qui quærant viam niueam operibus imperitorum, quam nullus deterat maculoſus. Quomodo enim obſeruari poteſt à populo Sacerdos, qui nihil habeat ſecretum à populo, diſpar à multitudine? Quid enim in eo miretur, ſi ſua in illo recognoſcat? ſi nihil in eo aſpiciat, quod vltra ſe inueniat? ſi, quæ in ſe erubeſcit, in eo, quem reuerendum arbitratur, offendat?* Vt verò in ruralibus illa impetraret, primùm in Conſiſtorijs & Subſtitutis exegit, obſecutus Ambroſio lib. 2. Off. c. 27. *Epiſcopus, vt membris ſuis, vtatur clericis, & maximè miniſtris, qui ſunt verè filij: quem cuique viderit aptum muneri, ei deputet.* Quare cùm non ignoraret Richardi à Sancto Victore ſenſum lib. 2. de Eru. cap. 33. *Cùm cœperit* [Sacerdos] *tam vitæ honeſtatem, quàm doctrinæ auctoritatem omnino non habere, quis iam ei vel carnalium obediret, vel ſpiritualium per familiaritatem inhæreret?* Vt felix ſtaret gubernatio populi, eos in Conſiſtoria adlegi, ac ſuæ poteſtati ſubſtitui voluit, quos hinc vitæ probitas, zelus, Deique gloriæ ardens ſitis, inde verò ſapientia ac ſublimior intelligendi vis, plurimum commendaret. Hinc ad inferiores progreſſus, vtrâque hac notâ ſingulos probari voluit. *Aptos ſuis omnibus Paſtores deligit;*

Ne verò dolo ac ſimulationi locus eſſet, aut ſub ouinâ pelle ſubintraret lupus, ad quæſtionem priùs vocari mandauit, quàm cuſtodiendum ouile committeretur: vt inde *& periclitatur, an ſint.*

pateret,

pateret, quæ singulorum cum Deo viuendi ratio, quæ sacrorum reuerentia, quæ morum compositio, quæ ad aras facientis pietas, quæ ad populum dicendi vis, quæ conuersationis maturitas, quæ conscientiæ integritas, quàm frequens exomologeseos vsus, quæ castimoniæ puritas, quæ victûs vestitûsque moderatio, quæ publicæ famæ præscriptio, quæ intellectûs capacitas, quæ doctrinæ amplitudo, quæ sacrorum oraculorum notitia: à quibus vis omnis dependet populum benè feliciterque ad salutem dirigendi. Vnde cùm ad vnum idemque beneficium aspirarent plures, in eum conferri decreuit, qui his nominibus ceteris antecelleret.

Ineptos vel emendat, vel amouet:

Si quis dignitatem statûs morum dissolutione infamasset, pœna non defuit, ne transiret in exemplum: quos pœna non coërcuit, exauctoratio afflixit: quia nulla pestis violentiùs grassatur in populum, quàm togâ vestita scelera; quam sanare non poterat, extra limites amandauit: nec officio deesse patiebatur, ne vnius socordia multorum esset ruina.

Visitationes curat, iubetque rescripto suo,

Visitationes annuas, quo zelo obiri mandauerit, ipsius verbis accipe: *Dum attentiùs paulò consideramus, quid causæ sit, quòd S. nostra Mater Ecclesia, exulceratis hisce senescentis æui temporibus ferè vbique laborare videatur; id potissimùm inde euenire liquidò animaduertimus, quòd ij, qui, vt Innocentius III. summus Pontifex eos appellat, in sortem siue hereditatem Domini sunt adsciti, ab institutâ vitæ ratione, scopoque illo, quem meritò sibi semper habere debent propositum, quàm maximè deuiarint; & tum neglectu sacrorum Canonum, tum etiam vitæ morumque dissolutione, eò sint prolapsi, vt non tantùm huic illius languori ferè vnicam causam præbuerint, verùm etiam ipsis hostibus contra illam arma quodammodo porrexerint, quibus grauiùs oppugnaretur.* Quod

Quod ut magnoperè est deplorandum, ita certò nobis eò acriores subiecit stimulos, ut solicitè dispiceremus, quâ potissimùm ratione his incommodis ac scandalis obuiaretur, tantaque mala, quæ in Ecclesiam Dei morum dissolutio inuexit, accuratiore diligentiâ tollerentur Cùm autem ad hanc rem perficiendam nihil Nobis efficacius esse videatur, quàm id ipsum, quod Nobis non tantùm vetera Concilia Oecumenica, Tarracorense, Toletanum IV. & Braccarense II. sed etiam nouissimè Tridentinum Seff. 24. c. 3. de Reformat. *præscribit, ut nempè saluberrimum illud visitationis remedium, tamquam contra omnia huiusmodi mala certum quoddam & indubitatum antidotum adhibeamus: ideò ne res tam salutaris, tamque necessaria, quæ hactenus ob continentes bellorum motus, non sine summo Ecclesiarum detrimento, intermissa est, rursus in usum praximque reuocetur, vobis districtè præcipiendo mandamus, ut adiuti consilio, auctoritate, quin etiam assistentiâ personali (quando res ita exigere videbitur) nostrorum Officialium, supradictam visitationem quasi postliminiò & citra cunctationem reducatis, ac totum vestrum districtum, qui vobis commissus est, unà cum Clero & Ecclesiis quàm diligentissimè lustretis, omniaque iuxta præscriptum in hac tabellâ modum, non perfunctoriè (ut quandoque fieri solitum) sed exquisitissimâ curâ inquiratis, atque id ipsum etiam inposterum ita iugiter continuetis; visitationem singulis annis, prout & antehac visitatum fuit, & supradicta Concilia Oecumenica præscribunt, sine ullâ interruptione celebretis: ita tamen, ut si propter amplitudinem vestri districtùs, unius anni spatium tanto negotio non suffecerit, eius saltem maiorem partem obeatis; ut id quod reliquum est, sequente anno sine longiore morâ confici possit. Quæ verò assiduâ vestrâ atque indefessâ diligentiâ inuestigaueritis, ea cum omnibus circumstantiis annotata, scriptoque comprehensa ad Nos transmittatis; ut non*

tantùm præsentem Ecclesiarum statum, qualem nobis bellici furores reliquum fecère, probè cognitum ac planè perspectum habeamus, sed etiam ea quæ collapsa sunt, erigere, vitiosa emendare, deformia nitori suo restituere, & quæ instauratione indigent, reparare possimus: facturi in his omnibus, quod serio & seuero mandato fieri volumus. Viennæ ex Curiâ nostrâ Episcopali Passauiensi, ad S. Mariam in littore sitam, quinto decimo Kalend. Aprilis. M.DC.LVI.

dignos statuu Visitatores:

Sed quia vel mortuum correctionis genus est, nudum imperium exempli animâ destitutum, vel parum efficax sententia iudicis, qui eodem tenetur crimine quod condemnat; quâ desiderabat omnes virtutis ac honestatis viâ incedere, hac eos præire voluit, quibus visitationis munus imposuisset: ideoque salubriter monuit: *Cùm nihil magis ædificet, quàm innocentia eorum qui nobis præsunt; sicut è conuerso maiorum delicta facilè trahuntur à subditis in exemplum; ideò ne Decanus, cui visitationis munus incumbit, volens subditis exhibere medicamenta salutis, præbeat exempla mortis, priùs domum suam reformabit, moresque ac vitam ad sanctorum Canonum præscripta componet, ac se factis ipsis atque actionibus muneri suo per omnia conformem exhibere studebit.* Dum verò rebus domi suæ benè probeque constitutis, quo in alios animo prosilire eos oporteret, *monuit omnes & singulos, ad quos visitatio spectat, vt paternâ charitate, Christianoque zelo omnes complectantur; nihil aliud quàm Dei honorem, & lucrum animarum sibi ante oculos proponant.*

primùm familia sua,

tum aliena:

Expressit deinde persuccincta verbis, amplissima sensu Tridentini capita, quæ confici potissimùm oporteret: *Vt sana orthodoxaque doctrina, expulsis hæresibus, inducatur; boni mores manu teneantur ac plantentur; praui corrigantur; populus cohortationibus & admonitionibus ad religionem,*

gionem, pacem & innocentiam accendatur; Clerus reformetur; ceteraque omnia, prout locus, tempus & occasio feret, ex visitantium prudentiâ, ad fidelium fructum constituantur. Et quoniam, vt graues morbi non ferunt moram, ita quæ in populum vel se insinuant, vel iam induruerunt prauitates, non segni manu aut arcendæ sunt aut eruendæ; ideò imperauit, *vt totum hoc visitationis negotium quàm celerrimè, debitâ tamen cum diligentiâ absoluere niterentur.*

Quoniam verò Concilij Tridentini sanctione, Episcopus non satisfacit obligationi suæ, si ipse legitimè impeditus constituat Vicarium (quantumcumque idoneum & qualificatum, qui Diœcesim ex officio visitet) nisi pariter quoque inuigilet, an & quomodo idem Vicarius exequatur ea quæ sunt sui muneris, quæque illi per peculiarem instructionem fuere præscripta & demandata: ideò sic statuit Serenissimus Princeps: *Ego singulis annis à meis Vicarijs generalibus rationem exigam de statu omnium Ecclesiarum, aliorumque piorum locorum meæ iurisdictioni subiectorum.* Ea verò de quibus potissimùm erudiri voluit, ad hæc capita reuocauit.

ab ijs rationem quotannis exigit obita visitationis ad 15. præcipua capita reuocatam:

Primò, An, quomodo, quo fructu hoc anno per Diœcesim visitatio sit celebrata.

Secundò, An visitatori, in muneris sui functione, per sæcularium potentiam obstaculum positum: an, & quomodo submotum: quâ ratione cum exemptis processum.

Tertiò, An reperta in Ecclesijs, præsertim Cathedralibus & Collegiatis, debita Diuinorum cura, Missarum frequentia, Verbi Dei prædicatio, Canonicarum Horarum cantus, &c.

Quartò, Quæ Ecclesiarum & destinatarum Curionibus Ædium constitutio: quod fabricæ aut tectorum robur, an, & quantis nominibus obstricta.

Quintò, Quis nitor Altarium, quæ munditics sacræ supellectilis & receptaculorum.

Sextò, Quæ Cleri cum populo conuersatio: quæ vis verbi & exempli: quæ vestitùs decentia ac moderatio.

Septimò, An cuiuis gregis parti præsit idoneus Pastor: an inter hos sit Regularis: quâ causâ huic muneri applicatus.

Octauò, An vnus pluribus Curatis beneficijs præsit: an id exigat Sacerdotum paucitas: quâ populi satisfactione: quæ & quàm accurata adolescentium in Seminarijs cura.

Nonò, Quem Parochi zelum prodant protegendi viduas & pupillos, corrigendi mores, tollendi prauas consuetudines, & actiones de superstitione suspectas, propagandi Orthodoxam Fidem, reprimendi hæreticorum audaciam.

Decimò, Quæ accuratio & assiduitas teneræ ætati, rudique plebeculæ Christianam doctrinam proponendi.

Vndecimò, An suos dirigant & hortentur ad Confirmationis Sacramentum suscipiendum.

Duodecimò, An Parochi sui laboris mercedem arbitrio suo taxent: an Consistorij sanctione præscripta sit, & quæ.

Decimotertiò, An pijs multorum fundationibus & legatis, seu pro viuis, seu pro defunctis, seu pro Ecclesijs, seu pro hospitalibus, seu quoad Missas, seu quoad alias obligationes, satisfiat.

Decimoquartò, Quæ Cænobiorum Regularium, præsertim Sanctimonialium constitutio: quis clausuræ rigor: quæ Religiosæ disciplinæ obseruantia.

Decimoquintò, An in Diœcesi versentur seu obligati loco, seu vagabundi Sacerdotes otiosi, notoriè scandalosi, infames, &c.

cum eximio fructu in comune: Atque huius pastoralis vigilantiæ stetere fructus eximij, quos per capita edicere magis libet, quàm prolixiùs enarrare. Sicubi ergo in his aliqua à recto tramite reperta *eam reduxit in viã,* deuiatio, sublata; si quæ fuit à mensis abundantia, inducta frugalitas & temperantia: eiectæ pellices, & prostituti

ſtituti pudoris mulierculæ; qui eis abuſi, ſi lateret ſcelus, occultè emendati; ſi pateret, pro merito caſtigati: indigni à beneficijs repulſi, digniores acciti: cuiuſque iuriſdictionis definiti limites: repreſſa auaritia, incitata ſegnities, accenſus zelus, extincta odia & ſimultates: ad æſtimationem extenſa auctoritas, ad moderationem arctatus luxus: vel aucta, vel fundata Seminaria; & quiſque ad ſui muneris obligationem conſtrictus: Eccleſiarum propugnata immunitas, procuratus nitor; vaſorum ac ſupellectilis aucta munditics, ſtabilita reuerentia, reparatæ ruinæ, expuncta nomina, repoſita pſalmodia, Miſſarum verbique diuini ac cæremoniarum accurata obſeruatio: propè ſepultæ fundationes ad vitam reuocatæ: iudiciorum ac tribunalium correcta dilatio; ſublati affectus, eliminata perſonarum acceptio, repulſa maiorum patrocinia; aucto iudicantium ſtipendio impeditæ ſponſiones & munera, & ſanctæ æquitatis leges vigori ſuo reſtitutæ: in populo, hæreticorum multorum centenorum millium, ac multarum etiam illuſtriorum familiarium conuerſio, peruerſorum correctio, ſcandalorum exilium, mutua pax & concordia, diuinorum myſteriorum æſtimatio, frequentior Sacramentorum vſus, diuinarum & Eccleſiaſticarum legum obſeruantia, vita cum virtute traducta, & mortes obitæ cum ſolatio. Vt quo Ennodius apud Caſſiodorum lib. 6. Var. ep. 31. Romano Pontifici gratulabatur, idem adſcribere poſſis Sereniſſimo Leopoldo: *Peruigil Beatitudinis veſtræ cura, quaſi coràm poſitos, in quocumque loco ſint, obſequentes attendit, & ſine vllis ferijs, dum gratia ſuffragium præſtat expertis, inuitat extraneos.*

maximè plurium etiam Illuſtrium ab hæreſi conuerſorum, &c.

dignus ea propter elogio.

CAPVT VII

Animi demiſſio.

Submiſſionu in Eminentibus rara:

RAra prorſus ac magna virtus eſt, Humilitas honorata; Magni Gregorij veriſſimum eſt axioma: *Quibus* enim *ſeu virtus, ſeu natura dedit eminendi ſuffragium, non niſi violentiâ quâdam, aut inſigni virtute depreſſeris.* Quemadmodum enim nauim, cui aſpirant auræ, cui turgent vela, quam vrgent fluctus, prodigij quoddam genus eſt, quietam in alto continere; ſic miraculi eſt ſpecies, Principem animum, quem benignior fortuna proſequitur, quem impellit familiæ ſplendor, quem titillant populorum obſequia, quem comitantur præclarè geſtorum plauſus, ad Chriſtianæ demiſſionis leges comprimere.

hanc LEOPOLDVS *carā habet,*

At non ita arduum fuit Sereniſſimo Leopoldo, cui innata modeſtia ab ipſis adoleſcentiæ annis quem iam horrorem faſtûs, & tumoris faſtidium iniecit. Quippe vel tunc, poſteriore loco haberi gaudebat. Sereniſſimos Fratrem ac Sorores obſeruabat vt dominos; ſeruis vtebatur familiariùs; egentium plebem alloquebatur beniгniùs; & ipſa, quæ ſibi impendebantur obſequia, promptis illicò obſequijs rependebat.

& exercet,

Atque vt ab animo ac interiore affectu, in quo potiſſima omnis virtutis laus eſt poſita, elogium auſpicemur, libet eum ex ipſiuſmet chirographis erutum prodere. Expenderat, vt ſolebat frequentiſſimè, Principalis dignitatis æſtimationem, & quicumque deferri poſſunt honores, extraneum quid eſſe, quod ad animæ dignitatem nihil conferat; inter quos & ſæpè virtus naufragetur, vt ſæpè Deus perdatur: illam verò, de quâ agimus, animi depreſſionem, vnicum ac ſolidum veræ magnitudinis fundamentum

mentum esse, à magno Imperatore nostro IESV tam exemplo quàm verbo commendatum: ideoque non ignauus sub tanto Duce miles, in illo ingentium Propositorum Syllabo, quem ad rigidum suorum votorum obseruantiam Deo exhibuerat, subscripsit:

Firmissimè statuo, ad mensuram virium mihi per gratiam Dei conferendarum, non animo tantùm, sed opere etiam, quantum status mei rationes patientur, omnem honorem, plausum, existimationem, & quidquid vanitatis, ambitionis ac superbiæ est, constantissimè contemnere. Quia verò optimi quique affectus imaginatione iuuandi sunt, multum refert ad sui depressionis studium, vt, cui cedis, maiorem credas. Quare Serenissimus Archidux vt promptiùs se etiam ad obediendum demitteret; non ab ijs tantùm, à quibus poterat mandata accipere, sed ab æqualibus etiam, imò & conditione inferioribus, Diuinam sibi voluntatem explicari credebat. ita enim scribit: *Pariter decerno mecum, in rebus licitis & Deo meo placituris obedire tam æqualibus quàm inferioribus: quorum voluntatem effectui mandare nitar, sine omni vllius meæ eminentiæ consideratione, tamquam mihi ab ipso Deo coràm esset manifestata.*

facto ad hoc decreto,

etiam inferiores obseruandis:

Sed id non præstiterit facilè, cui non maius huius virtutis quàm suæ dignitatis pretium est. Quanti Principis prærogatiuam æstimauerit Archidux, audiuit beatæ recordationis à nomine sanctitatis laudata virgo Paula Maria Carmelitana, dum ad factam à se mortalis putredinis mentionem, reposuit Serenissimus Princeps: *Apud Deum nulla est Principum prærogatiua: eò diffluimus, quò quisque mortalium vilissimus.*

considerata & testata pari omniũ mortalium vilitate,

Audiuere & complures alij, quo huius virtutis studium haberet in pretio, qui testatus est sæpiùs, se maioris neminem æstimare, quàm qui eâ excelluerit. Cùm ergo prona

& pretio submissionis,

prona ſequantur facta, quæ antecedit æſtimatio, & magni affectus diu latere non poſſint; quæcumque ſe offerebat occaſio, promptum reperiebat Leopoldum. Et ſanè qui eius animum ſeu familiariùs ſeu intimiùs tractarunt, teſtati ſunt, eum nullam facilè ſui abijciendi occaſionem prætериiſſe, nullam per tam glorioſas quas obiuit functiones propriæ exiſtimationis quærendæ anſam arripuiſſe. Et primùm quidem cùm intima in Leopoldum vteretur fiduciâ, & candidiſſimâ ageret ſuauitate Ferdinandus III. Imperator, & viciſſim magnam agendi libertatem ſuaderet fraterna dilectio; vnus tamen fuit, qui quà in publicis, quà in priuatis congreſſibus, exemplo ſuo docuit, quæ reuerentia deceret miniſtrum, quæ obſeruantia ſeruum: illi ſe exhibenti occurrit primus, primus quid poſtulanti præſtò fuit, primus lauanti miniſtrauit. Dubitabant(quibus Aulæ puncta non ſunt ignota) an poſt Ferdinandi funera idem obſequij genus Sereniſſimo Nepoti ſuo Leopoldo Cæſari præſtiturus eſſet. At ille: *Sciam, nec omittam conſtitutos mihi à Deo Superiores pro debito venerari:* & ipſo facto dubium ſuſtulit.

quam exhibet Fratri ſuo Cæſari:

nepoti Cæſari:

At demiſſus animus non quæ altiora ſunt tantùm ſuſcipit, ſed ad ea quæ ſunt depreſſiora, vt attollat, ſe demittit. Dum præeſſet caſtris, ſolâ ſibi retentâ imperandi poteſtate, par ceteris videri potuit. Eadem Principi menſa, eadem belli Ducibus: vile Præfecti tugurium, non auguſtius Archiduci Palatium. Vt occaſio ferebat (quamquam induſtria apparatum inſtruere potuiſſet) cum ſuis in eamdem ſortem veniebat. Nemo in virtutis bellicæ exercitio vulnere ſauciatus, cui ſuâ præſentiâ blandiſſimum cataplaſma non admouiſſet. Iacebat Marchio Sfondrati graui vulnere ad Grauelingam deiectus, & Burburgum deportatus; excurrit humaniſſimus Princeps, ſtrenuo militi

in omnibus par, etiam ſibi ſubditis.

Pronus in abiectos;

militi impensurus solatium; quæ Austriaci animi ad se demissi inclinatio ita Marchionem occupauit, vt palàm testatus sit, se ampliorem, dum vita suppeteret, præstitorum à se obsequiorum mercedem ne quidem votis optare potuisse; ac si mille vitas haberet, se eas sub tam humano Principe libenter pro Deo, Rege, ac publico bono immolaturum.

Nec minùs suæ dignitatis celsitudinem ad gregarios demisit, quibus suæ virtutis admiratione verba quidem eripuit; plenas tamen solatio lacrymas expressit: dum enim quid ad tanti Principis submissionem dicerent ignorarent, quid de eâ sentirent, ostendebant. Obstupuere non rarò vilissima mendicabula, cùm vel Feriâ quintâ Maioris Hebdomadæ ad suos pedes abiectam Principis dignitatem, eosque exemplo Summæ Maiestatis abluentem tergentemque; vel cùm diebus singulis Dominicis ac Festis, quamdiu castris abesse, ac Passauij residere licuit, cibos apponentem, porrigentemque, ac non nisi paucissimis testibus, liberali singulos stipe donantem conspexerunt. Ipse interim quò se deprimebat profundiùs, altiùs illorum præconijs efferebatur. Hoc enim demissionis stipendium est, spectantium linguis celebrari. Memorant etiamnum hodie cum suauissimâ recordatione sacri Religiosorum Ordines, fastûs ignarum Principem, quorum nullus est, qui non submissionis eius eximia acceperit documenta. *etiam gregarios.*

Nec illud submissi animi argumentum est vile, nulli non benè facere; at cui bene feceris, silentium imperare. Multus in conferendis beneficijs, plurimus in subleuandâ miserorum, præsertim olim felicium, durâ egestate, aut, vnde veniret auxilium ignorari volebat; aut si pateret accipienti, in plures non diuulgari; non minùs laudem *A se rectè facta ipse occultat:*

vitare ſolicitus, quàm laudabilia exhibere. Multò verò minùs ſuarum ipſe laudum tubam circumtulit. Fregit *horum laudem & plauſus publicos, deriuat in alios;* quà in Morauiâ & Bohemiâ, quà in Germaniâ & Belgio tot tamque potentes exercitus; Vrbes alias recepit, alias liberauit, alias expugnauit; victricia pro Imperatore & Catholico Rege arma circumduxit: felices armorum progreſſus cùm per litteras ijs exponeret, à quorum Maieſtate pendebat, nullâ ſui inſperſâ memoriâ, rei ſummam ſuorum fidelitati & inuictæ fortitudini tribuebat; quod quiſque geſſiſſet ſtrenuè, prolixè commendabat. Ceterùm, ſi quando prælio victor vrbem ingreſſus per machinarum diſploſiones plauſum admiſit, eâ ſolùm perſuadebatur ratione, quòd vel Imperatoris Regiſque veneratio id expoſceret, vel populus ad reddendas Deo grates euocaretur: ideoque priuſquam ad inſtructam ſibi Aulam procederet, ad præcipuam vrbis Eccleſiam diuertebat, rem *maximè in Deum.* vniuerſam Deo in acceptis relaturus. Aliàs ſui honoris incurius, publico bono intentus, eiuſmodi plauſus vel impediuit, vel declinauit.

A ſe auertit, Belgij gubernationem inuitante Catholico Rege aditurus, Bruxellis appropinquabat. Deliberabant Ordines de ſuo Liberatore cum plauſu excipiendo: ſuadebant id *& prohibet Bruxellæ.* tum antehac FERDINANDO Principi Cardinali PHILIPPI IV. Hiſpaniarum Indiarumque Regis Fratri exhibiti honores, tum ipſa aduentantis per Germaniam notiſſima virtus & animi celſitudo, tum ſpes quæ omnium animis concipiebatur: vnicum tam proni affectûs molimina argumentum infregit; quòd intellexiſſent ex eo qui Principis genium habebat perſpectiſſimum, offenſioni fore Archiducis, quæ ipſi ſuis affectibus meditarentur; magnum animum bono publico intendere, plauſus ſuos non tantùm non attendere, ſed odiſſe. Quo factum, vt huiuſmodi

modi offensæ metu, quem eius meritis se debere honorem existimabant, ægrè licet, prætermitterent. Et fuit res ad votum Principis, qui numquam admisit gloriam suorum factorum comitem.

Hinc, quàm breui tempore tam prolixâ virtute peractis primis castris, receptis ac redactis in Regiam potestatem Armenteriâ, Cominio, Landresio, Dixmudâ, à Senatu populoque Antuerpiano inuitatus, non priùs orantium votis consensit, quàm, quos illi more maiorum magnis sumptibus, sed maioribus animis, parabant Triumphales Arcus, spónderent non erecturos. Dura lex amantibus, sed eius humanissimo aspectu recreari cupidis subeunda. *& Antuerpia.*

Florente vrbis Antuerpiæ, ad Orbis vniuersi inuidiam, commercio (quod Augustæ Domui AVSTRIÆ, & imprimis DIVO MAXÆMILIANO I. & DIVO CAROLO V. Vrbs debet) Imperator Cæsar CAROLVS V. Aug. Anno M. D. XLIX. cum PHILIPPO II. tum Hispaniarum Principe (qui tunc primùm auspicatissimo aduentu suo Vrbem beauit) operosissimâ pompâ à Senatu est susceptus. Nam præter publicam Vrbis opulentissimæ magnificentiam, priuatis sumptibus Negotiatores Hispani, Germani, Angli, Florentini, Genuenses, ad deuotissimum suum in Cæsarem, eiusque filium Hispaniarum Principem obsequium testandum, de palmâ certabant.

Expensa tunc sunt in Arcus Triumphales, Pegmata, Pictas Tabulas, aliaque Pompæ solemnis ornamenta, supra centena & tricena Coronatorum aureorum millia, teste Laurentio Surio in Commentario rerum toto Orbe gestarum, ad annum 1549. editionis postremæ Coloniens.

Desudabant tunc in eâ Pompâ adornandâ fabri lignarij octingenti & nonaginta quinque, Pictores ducenti, &

 nona-

nonaginta tres: vt de Statuariis, Tornatoribusque, aliisque vilioribus operarijs sileam, qui omnes fuere mille septingenti & viginti sex, & quidem omnes Vrbis ciues, nullis (quæ eius erat copia) adhibitis aliunde accitis; vt testatur Cornelius Scribonius Grapheus, Vrbi à Secretis, qui cuncta ferè, quæ ad Arcuum, Pegmatum, Columnarum, Picturarum, Historiarum, Statuarum, personarumque spectacula attinebant, solerti industriâ excogitando inuenit, disposuit, inscriptionibus ornauit, & deinde chartaceis monumentis, typis Ægidij Diesthemij immortalitati consecrauit Antuerpiæ anno M.D.L.

De Triumphali Serenissimi Principis FERDINANDI AVSTRIACI, PHILIPPI IV. Hispaniarum Indiarumque Regis, Belgarum, &c. Principis, fratris vnici, Cardinalis, in vrbem Antuerpiam, post victoriam Norlinganam, introitu, ita scribit vir Clarissimus & Amplissimus D. Aubertus Mireus, Collegij Canonicor. eius Vrbis Decanus in Chronico Belgico ad annum 1636. *Senatus Populusque Antuerpiensis pro veteri suo erga Gentem Austriacam affectu, Arcus Triumphales & Pegmata varia honori eiusdem* FERDINANDI *Principis erigenda curauerat. Pompæ vniuersæ architectonicen Petrus Paulus Rubenius, Eques, æui nostri Apelles, designauerat, iconesque ac tabulas artificiosissimè pictas expresserat.*

Inscriptionibus verò pereruditis, & versibus Statianam maiestatem spirantibus, Casperius Geuartius Iurisconsultus & Archigrammateus Antuerpiensis illustrauerat. Quæ omnia in æs incisa, & pleno Commentario descripta idem typis nuper publicauit; vt olim CAROLI V. *Imp. auspicalem in hanc Vrbem aduentum Petrus Ægidius, itidem Graphiarius;* PHILIPPI II. *Regis Catholici, Cornelius Scribonius Grapheus;* ERNESTI *&* ALBERTI *Archiducum, Ioannes Bo-*

Bochius, vterque S. P. Q. Antuerpiensi à Secretis, libris editis celebrarunt.

At tametsi diuina Serenissimi Principis LEOPOLDI Archiducis, Imperatoris fratris vnici, modestia pompam omnem introitûs recusasset; noluit tamen Senatus nullam tam generoso animo reiectæ pompæ superesse memoriam. Quare eidem vrbis Archigrammateo & Consiliario Casperio Geuartio, Iurisconsulto (quem post supra memoratum Serenissimi Principis FERDINANDI AVSTRIACI celebratum Introitum, Imperator FERDINANDVS III. Aug. & deinde PHILIPPVS IV. Hispaniarum Indiarumque Rex Catholicus, Consiliarium & Augustæ Domûs Austriæ Historiographum adsciuere) in mandatis dedere, vt Tabulis aliquot & Epigraphis publicam Vrbis lætitiam, & deuotissimum Gubernatori auspicatissimo obsequium testaretur: quod ille pro suo in Augustissimam Domum cultu & studio, Inscriptionibus nonnullis, conspicuo Vrbis loco positis, præstitit, ne à maiorum more penitus degenerasse ciues viderentur.

In fastigio Portæ Cæsareæ, ab Imp. Cæs. CAROLO V. Aug. (qui eam Portam primus mortalium est ingressus) sic dictæ, sub Insignibus Serenissimi Archiducis sequens legebatur inscriptio:

CÆSARIBVS, PRINCEPS, BISSENIS EDITE DIVIS,
INGREDERE AVGVSTO DICTAM DE CÆSARE PORTAM,
CÆSARIS, ô, GERMANE. TVIS HVMVS ISTA SVPERBIT
GRESSIBVS, EXVLTATQVE NOVIS, LEOPOLDE, TRIVMPHIS.

Ad interius Portæ vestibulum, ANTVERPIA, Virgunculæ habitu, Turrito vertice, è curru aurato descendens, insigni Virginum, VIRTVTES repræsentantium, comitatu stipata, Lauream Serenissimo ARCHIDVCI Victori venerabunda offerebat: adstante VRBIS GENIO, (quem repræsentabat nobilis adolescens Cos. F.) atque hos versus pronuntiante:

BELLIGER AVSTRIADE, NVPER QVEM SÆVA GOTHORVM
AGMINA, QVEM GELIDIS TREMVIT REGIONIBVS ARCTOS,
VINDICE QVO PVLSIS RESPIRAT BELGICA FRANCIS;
ACCIPE LAVRIGERÆ VIRIDANTIA SERTA CORONÆ,
PACIFERAS TOTVM FRONDES QVÆ SPARGAT IN ORBEM.

NON PICTVRATÆ CERNIS TIBI PEGMATA POMPÆ
STRVCTA, NEC INDVTOS SPOLIIS HOSTILIBVS ARCVS,
VIRTVTIS MONVMENTA TVÆ. NAM CELSIOR IPSE
ARCVBVS, ÆTHEREVM MERITIS ATTINGIS OLYMPVM.
TE PIETAS, TE PRISCA FIDES, ASTRÆAQVE VIRGO,
OMNIGENVMQVE CHORVS VIRTVTVM AD SIDERA TOLLIT,
INQVE ANIMIS HOMINVM POMPA EXVLTANTE TRIVMPHAS.

PERPETVVM SESE PRONAM SVBMITTIT IN ARCVM,
INCLINATQVE TIBI CELSAS ANTVERPIA TVRRES,
SVMME DVCVM, LEOPOLDE. TIBI LEO BELGICVS VLTRÒ
ECCE IVBAS, MANSVETA LVBENS PROSTERNIT ET ORA,
AC SACRÆ GAVDET MITEM SE SVBDERE DEXTRÆ.
VNGVIBVS ILLE FEROX IMMANES PROTERET HOSTES.

In tabellâ ad Domum Ciuicam affixâ, vbi locus vestitus erat panno purpureo (is & reliquis alibi Tabellis erat substratus) visebatur effigies Serenissimi ARCHIDVCIS, quem propè adstans VICTORIA Lauro coronabat.

LEO BELGICVS ad pedes eiusdem se inclinabat. Atque ibidem subscripta quoque erat ista GENII VRBIS Oratio.

Ante

Ante Domum Ciuicam in alterâ Tabellâ
hæc legebatur Inſcriptio:

SERENISSIMO ET INVICTISSIMO PRINCIPI
LEOPOLDO GVLIELMO,
DIVI FERDINANDI I. PRON.
DIVI FERDINANDI II. FIL.
IMP. CÆS. FERDINANDI III. AVG.
FRATRI VNICO;
ARCHIDVCI AVSTRIÆ,
DVCI BVRGVNDIÆ,
STIRIÆ,CARINTHIÆ,CARNIOLIÆ,WIRTEMBERGÆ;
COMITI TIROLIS ET GORITIÆ, &c.
CÆSARIANORVM EXERCITVVM PER GERMANIAM
SVPERIOREM NVPER PRÆFECTO SVPREMO,
NVNC GERMANIÆ INFERIORIS, BELGARVMQVE
ET BVRGVNDIONVM PRO
PHILIPPO IV.
HISPANIARVM INDIARVMQVE REGE,
GVBERNATORI AVSPICATISSIMO,
BONO REIPVB. CHRISTIANÆ NATO:
QVOD SEREN^mæ CELSITVDINIS SVÆ IVBARE ILLATO,
BELGICAS PROVINCIAS,
BELLO PROPE SÆCVLARI FESSAS,
IN PRISTINÆ TRANQVILLITATIS ET SPLENDORIS
SPEM EREXERIT;
AC ARMENTERIAM, COMINIVM, LANDRESIVM, DIXMVDAM,
DE FRANCIS (DVCE EORVM CÆSO) RECEPERIT,
S. P. Q. ANTVERP.
EIVS CELSITVDINI, FORTITVDINI, PIETATI DEVOTISSIMVS,
OPTATISSIMVM ADVENTVM GRATVLATVR.

Supra Tabellam viſebatur ingens Aquila aduolans, roſtro Caduceum, dextro vngue Fulmen, læuo * Anguem captiuum ferens. Vtrimque, hinc tormenta bellica cum globis ignitis; inde Caſtra hoſtilia.

* *Slangius* Suecor. Dux, à Sereniſ. Archid. ad Neoburg. captus.

Aqvilæ ſubſcriptum iſtud Maronis:

——DVCENTE DEO, FLAMMAM INTER ET HOSTES,
EXPEDIOR.

11. *Æneid.*

Ad

Ad vestibulum Templi Cathedralis, DEIPARÆ sacri, sub Turri, ad latus dextrum:

SERENISSIMO PRINCIPI,
LEOPOLDO GVLIELMO,
ARCHIDVCI AVSTRIÆ,
DVCI BVRGVNDIÆ, STIRIÆ, &c.
BELGARVM ET BVRGVNDIONVM GVBERNATORI:
MILITIÆ HIEROSOLYMITANÆ
ARCHISTRATEGO,
AC SPLENDIDISSIMI ORDINIS TEVTONICI,
TITVLO DEIPARÆ IN PRVSSIA,
PER GERMANIAM, ITALIAM, ET TRANS MARE,
SVMMO PRÆFECTO:
QVOD INCOMPARABILIS ET CHRISTIANISSIMI HEROIS,
GOTHOFREDI BVLLONII,
BELGÆ-BRABANTI,
HIEROSOLYMORVM REGIS,
LOTHARINGIÆ DVCIS,
ET S. R. IMPERII, ANTVERPIÆ AD SCALDIM,
MARCHIONIS,
CONSANGVINEI SVI, INSISTENS VESTIGIIS,
INVICTVM SE AC INDEFESSVM ORTHODOXÆ RELIGIONIS
PROPVGNATOREM ET PROPAGATOREM IVSTISSIMIS ARMIS
PRÆSTITERIT;
PRÆSVL, DECANVS, ET CANONICORVM
CATHEDRAL. ECCLESIÆ ANTVERP. COLLEGIVM,
AB EODEM BVLLONIO FVNDATORE INSTITVTVM,
CIVESQVE OMNES, IN SACRAM DEIPARÆ,
VRBIS HVIVS DIVÆ TVTELARIS ÆDEM
FELICISSIMVM ADVENTVM,
QVA POSSVNT SVBMISSIONE GRATVLANTVR.

In

In superiori parte Tabulæ, solio insidebat GOTHOFREDVS BVLLONIVS, Marchio Antuerpianus, Hierosolymorum Rex, Coronam auream recusantis habiu. Epigraphe:

ABSIT, VT AVRATÆ GESTEM DECVS IPSE CORONÆ,
HIC VBI GESTAVIT SPINEA SERTA DEVS.

Ad dextrum Tabulæ latus adstabat BALDVINVS GOTHOF. Frater, post eius obitum Hierosolymor. Rex.

Ad læuum latus adstabat EVSTATHIVS, alter GOTHOF. Frater, vterque eidem ad Bellum Sacrum comes.

Ad medium vtrimque latus binæ VICTORIÆ cum Palmis.

Sub Tabulâ, Insignia Vrbis HIEROSOLYMÆ.

Sub eâdem Turri, ad læuum latus.

MVTVA CVR SÆVOS IN VISCERA STRINGITIS ENSES,
CHRISTICOLÆ? COHIBETE MANVS, IRASQVE NOCENTES
PONITE. VOS SACRO CHRISTI MADEFACTA CRVORE
TERRA VOCAT, DIRI FVRIIS OPPRESSA TYRANNI:
MATERIES VESTRIS HÆC EST SATIS AMPLA TRIVMPHIS.
HVC FIDEI DVCTVS ZELO BVLLONIVS HEROS,
ILLE AMBIVARITÆ GOTHOFREDVS MARCHIO TERRÆ;
MOENIA DVM SOLYMÆ, TEMPLVMQVE, ARCEMQVE SIONIS,
NON SIBI, SED COELO, VINCIT; DIADEMA SVPERBVM
SPREVIT, ET OBLATÆ GEMMANTIA DONA CORONÆ.
HVC LEOPOLDORVM VIRTVS ANIMOSA TETENDIT
AVSTRIADVM; QVORVM HIC CELSA PTOLEMAIDOS ARCE,
VICINISQVE PROCVL SALADINVM EXEGIT AB ORIS;
BARBARICO REFERENS SAGA CANDIDA MERSA CRVORE,
QVO GENTILITII RVBVERE INSIGNIA SCVTI:

ALTER DAMIATÆ MVROS, NILOTICA CLAVSTRA,
DIRVIT, ET PHARIIS TENTORIA FIXIT ARENIS:
AMBO, TRIVMPHATI SPOLIIS ORIENTIS ONVSTI.
HORVM, MAGNANIMVS MODO PER VESTIGIA TENDIT
AVSTRIADES, NOSTRI LEOPOLDVS GLORIA SÆCLI;
CVI VICTRIX PIETAS FAMVLANTIA DIRIGIT ARMA,
ET COMITES SECVM DEDVCIT IN AGMINA DIVOS.

In ſuperiori parte Tabulæ, ad latus dextrum, conſpiciebatur LEOPOLDVS VI. Auſtriæ Dux, cognomento Virtuoſus; qui ad Bellum Sacrum profectus, Ptolemaïden, Palæſtinæ vrbem (Accaron vulgò) expugnauit, teſte Ioanne Cuſpiniano, Conſiliario & Hiſtoriographo Cæſareo, in Deſcriptione AVSTRIÆ.

Ad alterum latus adſtabat LEOPOLDVS VII. Auſtriæ Dux, cognomento Glorioſus, qui Peluſium (Damiatam nunc vocant) Ægypti vrbem cepit; vt idem Cuſpinianus refert.

Inter DVCEM vtrumque Palma arbor ingens, è quâ ſuſpenſus Crocodilus, Ægypti ſymbolum: vt in Octauiani Aug. Numis cernitur. Epigraphe: PELVSIO CAPTO. Vtrimque duo captiui.

Paulò infrà, ad latera, hinc VIRTVS cum parazonio; inde GLORIA cum Laureâ & Pyramide.

Supra Templi veſtibulum, ſub Podio medio ſpectabantur Inſignia Sereniſſimi ARCHIDVCIS, quæ bini vtrimque GENII alati ſuſtinebant. Subiuncta erant eiuſdem Principis Symbola: Crux, Frenum, Oculus, Laurus, Ouis, Leo. Subſcriptum eius Symbolum:

TIMORE DOMINI.

In

In primario Vrbis Vico, Mera, PARNASSVS Mons visebatur, APOLLINE & MVSIS insessus, virentium Laurorum velut nemore quodam vndique consitus. Inscriptio:

RESTITVIS PROFVGAS, VICTOR LEOPOLDE, CAMOENAS:
ARENTESQVE IVBES CYRRHÆ REVIRESCERE LAVROS.

Transeunti Serenissimo Principi Musæ Oden istam insigni vocum & instrumentorum concentu accinebant:

AVSTRIVM *Salue*, LEOPOLDE, *Sidus*;
CÆSARVM *Salue*, LEOPOLDE, *Germen*;
BELGICÆ, *Salue*, *Columen*; *Salutis*
Anchora, *Salue*.
Obrutâ ſicut rate, concitatis
Fluctibus vector timet: at nitentis
CASTORIS *blandâ recreatur aurâ*,
Spemque reſumit;
Sic diu bellis prope iam fatiſcens,
Solis exortu, *ſibi tot ferarum*
Cladium ſperat, *necis & rapinæ*
BELGICA *finem*.
AVSTRIVM *Viuas*, LEOPOLDE, *Sidus*,
CÆSARVM *Viuas*, LEOPOLDE, *Germen*,
PACIS, *ô*, *Viuas*, LEOPOLDE, *Vindex*,
Neſtoris annos.

Ad vestibulum Cœnobij D. MICHAELIS,
vbi hospitium Serenissimi ARCHIDVCIS.

SERENISSIMO PRINCIPI
LEOPOLDO GVLIELMO,
ARCHIDVCI AVSTRIÆ,
DVCI BVRGVNDIÆ, STIRIÆ, CARINTHIÆ,
COMITI TIROLIS ET GORITIÆ, &c.
BELGARVM ET BVRGVNDIONVM
GVBERNATORI;
QVOD
DIVI LEOPOLDI,
AVSTRIÆ MARCHIONIS,
PII, VICTORIS, PACIFICI,
SACRARVM ÆDIVM CONDITORIS,
DIVINAS ÆMVLATVS VIRTVTES,
AVSPICE
TIMORE DOMINI,
INVICTA ANIMI MAGNITVDINE
DE HOSTIVM FEROCIA TRIVMPHARIT,
S. P. Q. ANTVERP.
VENERABVNDVS POS.

Ad dextrum Tabulæ latus, visebatur S. LEOPOLDVS, Austriæ Marchio. Ad alterum latus, AGNES, S. LEOPOLDI Vxor, Henr.IV.Imp.Fil. flammeo diuinitus reperto amicta.

Tabulæ superposita erat Corona Oleaginea, cui geminum Copiæ cornu adiacebat. Coronæ inscriptum istud Siracidæ:

Σοφίας ἀρετῶν, θαλλοῦ στέφανος. *Sapientia præmium, Olea Corona.* Plutarch. Vitâ Themistocl.

CORONA SAPIENTIÆ,
TIMOR DOMINI,
REPLENS PACEM
ET
SALVTIS FRVCTVM.

Effigies

Effigies quoque Sereniſſimi Archiducis, ab inſigni artifice, Paullo Pontio, Rubenij diſcipulo, æri inſculpta fuit, cui Epigramma iſtud ſubiunctum erat:

Vtraque cui geminas debet Germania lauros,
AVSTRIADES, *Diuo Cæſare patre ſatus,*
Sic oculos, ſic fert LEOPOLDVS *belliger ora*
Ac (Duce quo fidit) pectora plena Deo.
Francorum elatos fregit, Sueonumque furores,
AVSTRIACÆ *firmans celſa Trophæa* DOMVS.
Hic Pacis vindex, hic iuſti Martis imago eſt:
Præſidium Belgis, Anchora ſacra, Salus.

Obſeruatione etiam digniſſimum eſt, quod ipſo ſancti LEOPOLDI, Auſtriæ olim Marchionis, Feſto die, Fœderatæ Belgij Prouinciæ, curiatis, & omnium cuiuſque Vrbis membrorum plenis comitijs ac ſuffragijs ſanxerint & decreuerint, Pacem cum Hiſpaniarum Indiarumque Rege eſſe ineundam: cuius firma fundamenta pridem antè iecerat Excellentiſſimus D. Emanuel de Moura Cortereal, Marchio de Caſtel-Rodrigo, Comes de Lumiares, Belgarum & Burgundionum Gubernator, Pacis Gallo-Germano-Batauicæ Archi-plenopotentiarius.

Eucrard. Waſſeberg *Panegyrico* LEOPOLDI *Archiducis anno* 1648. *edito.*

Huc alludens in Pacis Hiſpano-Batauæ publicatione Caſperius Geuartius, Theatro à S. P. Q. Antuerp. ante Curiam erecto Inſcriptionem iſtam præfixerat, ſub effigie HERCVLIS OLIVARII:

QVALIS AB VNDOSI LONGINQVIS FONTIBVS ISTRI
AMPHITRYONIADES GERMEN PACALIS OLIVÆ
DETVLIT, ET GRAIAS PASSIM DISPERSIT IN VRBES;
HAVD SECVS AVSTRIADES PATRIO LEOPOLDVS AB ISTRO
PALLADIÆ SECVM NOVA MVNERA VICTOR OLIVÆ
ATTVLIT, HINC TOTVM LATE SPARSVRVS IN ORBEM:
PACIFICISQVE IVBET BELGAS SE CINGERE SERTIS.

PINDAR. OLYMP. Ode III. Ἀμφὶ κόμαισι βάλοι γλαυκόχροα κόσμον ΕΛΑΙΑΣ, τάν ποτε ΙΣΤΡΟΥ ἀπὸ σκιαρᾶν παγᾶν ἔνεικεν Ἀμφιτρυωνιάδας. *Circa comas ponat*

virens ornamentum OLIVÆ, *quam olim* ISTRI *ab vmbrosis fontibus tulit* AMPHITRYONIADES. Idem refert Pausanias in Eliacis. Ædem HERCVLIS OLIVARII in XI. Regione Vrbis recenset Pub. Victor.

Hactenus Antuerpiensium erga Diuinas Serenissimi Archiducis LEOPOLDI GVLIELMI virtutes, & potissimùm incomparabilem eius modestiam, veneratio & pietas. Hæc autem omnia ex Tabulis & Inscriptionibus anno M. DC. XLVIII. publico Vrbis nomine positis, editisque congessimus.

Ita Serenissimus Archidux, quam in materiatis & perituris monumentis & Arcubus exstare noluit sui memoriam, profundiùs immortalibus hominum animis insculpsit.

Ne sibi reduci è Belgio impendatur honor, à Cæsare deprecatur.

Redibat orbis famâ gloriosus è Belgio: Fratrem suum obuiàm effusus salutare desiderabat Ferdinandus Imperator cum solito ac magnifico Aulæ comitatu. Vbi id, Passauium appulsus ex Comite Alberto de Zinzendorff, primo Imperatoris nomine salutatore, accepit Archidux, illicò præmisit, qui publica tantę gratiæ testimonia deprecaretur: se domesticum aduenire, aliudque nihil desiderare, quàm fraternis amplexibus obsequiosè se infundere. Non acquieuit sincerus in fratrem Ferdinandi animus. Iteratò mittit, qui impensiùs oret, liceat sibi mundo palàm facere, quantâ apud se existimatione sit Frater, qui tot bellotum periculis pro Germaniâ & Belgio venalem sanguinem prostituisset. Sed precibus vehementiores preces opposuit. Cùm voluntatem non expugnaret precibus Imperator, amicâ vi agere moliebatur: iamque grandiores machinas pro vrbis mœnibus stare iusserat; cùm pio dolo adest incognitus Archidux cum domesticorum paucis (reliquâ aulâ secundo Danubio commissâ) & euitato ad suum ingressum populi aggratulantis concursu, omnium opinione citiùs amantissimi Fratris amplexibus se infundit.

Quod

Quod subiungo, tantò est ad commendandam Leopoldi modestiam & animi submissionem augustiùs, quantò rarior est, qui secundæ fortunæ & dignitati sponte influenti sinum occludit. Obierat suprema fata FERDINANDVS IV. nuper electus Romanorum Rex. Erant ex Electorum Collegio, qui Austriacæ Familiæ studiosi, de substituendo Austriaco versabant consilia. Quamquam in LEOPOLDVM IGNATIVM inclinationem suaderet ratio per multa; potentiùs tamen dissuadebat tenerior huius ætas, ad vergentis in decliue parentis obitum ad tam grauem gubernationis molem non satis adulta. Consultum igitur & rebus Austriacis, & publico Imperij bono existimabant, si Serenissimo Leopoldo Guilielmo, Pio, Prudenti, Iusto, Victori, & Felici Principi, Imperij habenæ deferrentur. Igitur mentem exploraturi, consilia sua per fidum Interpretem, commodùm ex Germaniâ in Flandriam transeunti aperiunt: addunt, quæ magni ponderis existimabant argumenta: Re in Austriacâ Domo penè ad apicem deductâ, vnum superesse Archiducem, qui Maiestatis nomen cùm dignitate sustinere valeat: cuius fama, & tot periculis probata virtus, toto Orbe sit diffusa: in quem citra inuidiam conspiratura sint omnium Electorum suffragia: nisi consentiat, metuendam Electorum scissionem, manifestum veræ Fidei detrimentum, Orbis scandalum, Prouinciarum ruinam, & totius Imperij desolationem. Rogant proinde, offerendam Coronam acceptet: spem simul superesse certiorem sufficiendi LEOPOLDI Nepotis, vbi ætas ad sceptrum maturuerit, ipsique Leopoldo Guilielmo tantum pondus humeris suis deponere placuerit: interim effecturum ipsum, vt turbatum tot bellis Imperium suâ prudentiâ ac felicitate componatur. Non ignorare quidem Principes Ele-

Consilijs Electorum de se in Regem Romanorum

Electores, quantum potentiæ externarumque virium ad ſuſtinendum Maieſtatis nomen deſideretur; illos tamen ſibi firmiter perſuadere, & FERDINANDVM Cæſarem, & PHILIPPVM Catholicum ſapientiſſimè expenſuros, quanti referat Imperij Coronam in Auſtriaco capite conſeruare: & inde Cæſareâ ac Regiâ munificentiâ parem Imperio potentiam ſtabilituros. Hîc mirari modeſtiſſimus Princeps, & vultu ac oris habitu declarare ingratiſſimam ſibi accidere eius honoris delationem. Tum verò, Miror, inquit, eam Electores Principes de me cogitationem ſuſcepiſſe, quibus,& Orbi vniuerſo notiſſimum eſt, me nihil vnquam ambijſſe, ſed quibus à Deo ſubiectus ſum, Cæſari Fratri, ac Regi Catholico, boni publici ſtudio ac Familiæ emolumento, cæcâ quadam obediendi promptitudine ſemper commiſiſſe. Quia tamen candidâ in me Electorum confidentiâ hæc propoſuiſti, pari confidentiâ animi mei ſecreta reuelabo. Si iuratus mei ſanguinis hoſtis haberer, grauius in Auſtriacæ Familiæ detrimentum à me poſtulari non potuiſſe: vnde mihi exaltatio quæritur, inde toti Domui impendet ruina. Rex ero, & quidem Germaniæ,ſed ſine terris, ſine regno, ſine viribus. Nec Auſtriacorum eæ ſunt Regiones ac Prouinciæ, quæ ſcindi poſſint in plures, vt ſingulis ſufficiant: nec ſcindi terras conſultum eſt; quòd plerumque & animorum ſciſſio ſequatur. Periculoſa eſt dignitas, quæ amicitiæ nomine illapſa, adferret noſtri ſanguinis ruinam, quam tot hoſtes tam diuturnis bellis quæſierunt. Exoſculor amicum animum,quo Principes in Auſtriacorum ſanguinem feruntur: ſed liceat viciſſim amicum ſenſum aperire. LEOPOLDVS IGNATIVS is eſt (non dico adulandi ſtudio,aut nudo in ſanguinem affectu, ſed Dei gloriæ, Religionis, boniq́ue publici amore) cui natura etiam in iuuenili

ad ſe delatis, modeſtè reſpondet,

& in Nepotē LEOPOLDVM vota deriuat.

nili ætate maturum iudicium dedit, & animum ingentium curarum capacissimum; qui spem certam facit secundæ in maturâ ætate gubernationis. Ferdinandus Imperator nondum eâ est ætate, aut morborum acerbitate, quæ vicinum occidentem spectet: potest fauente Deo in plures annos vitam protrahere. Adolescet interim LEOPOLDVS IGNATIVS, vt zelo Religionis & iustitiâ, prudentiâ ac fortitudine, magnificentiâ ac lenitate, consilio & industriâ ad Imperium euehi mereatur: gratias refer amplissimæ Electorum inclinationi, tam in me quàm in consanguineum meum. Hæc verò consilia tota in Nepotem meum conuerti velim, de me omnino deponi, & posthac nihil moueri. Quo dicto cùm omnem scopulum suæ modestiæ oppositum omnino declinasse sibi videretur, quâ tamen in Augustissimum Fratrem ferebatur reuerentiâ, hæc, vt acta sunt, fidente animo exposuit.

Mortuo FERDINANDO III. iterùm per litteras sollicitatur ad Imperium:

Sed grauior ac propè ineluctabilis pòst paulò scopulus assurrexit. Properauit ad mortuos Ferdinandus: reliquit Filium, capacem quidem Imperij, annum tamen ætatis decimum septimum nondum egressum. Iteratò ac vehementiùs plurium Electorum desideria in Leopoldum Guilielmum respiciunt, quorum affectu plenis litteris sollicitatur. Sed quod affectasset ambitio, detrectauit modestia: non spectauit quid sibi ad honorem esset; sed quid Imperio ad vtilitatem. Oblatam dignitatem declinare certus, communicat cum Serenissimo Nepote litteras, & cum eo de responso dando deliberat. Iamque properè ea steterat consilio Regio sententia, vt per ablegatos, sine vllius nomine, pro aliquo ex Domo Austriacâ in Romanorum Imperatorem assumendo apud Principes Electores ageretur. Tum verò Serenissimus Archidux neruosis litteris id egit, vt Electorum animos in suum Ne-

eas cũ LEOPOLDO Nepote communicat,

& in illum Coronam Imperij efficaciter deriuat Francofurti.

potem inclinaret. Quod idem tantò impensiùs in communi Electorum conuentu Francofurti præstitit, quantò præsens humanitas ac modestia plus virium habet, quàm litteræ, ad animos inflectendos. Hîc habes ratum omnino, ac pluribus sæculis non auditum exemplum, per affluentes honores ac dignitates, inexpugnabilis animi, quod posterioribus etiam ætatibus tantæ virtutis æstimationem ingenerabit. Concludo huius virtutis elogium

Illius facti Elogium à Maximiliano Rudolpho Episcopo impressum.

suaui & eleganti versu, quod tantæ rei admiratione attonitus Reuerendissimus Dominus Maximilianus Rudolphus, Episcopus Littomericensis, in MEMORABILIVM ROMANORVM CENTVRIA euulgauit:

Tanta tibi bonitas, tanta est prudentia, Princeps,
Vt, sis maior vtrâ laude, nec ipse sciam.
Nec minor est bello virtus: Germania dicet
Vtraque, quod fuerit pectus in arma tibi.
Sed te Fratris amor natiuæ reddidit Aulæ;
Aut si quis, certè reddidit ipse Deus.
Redditus ad Fratris mortem es; dum noster hic Atlas
Deficeret, te res, Hercule, tanta fletit.
Et poteras magno forsan succedere Fratri;
Sed tibi magnanimi cura Nepotis erat.
Cura tibi Fidei; cura & respectus honesti:
Nec te Fratris honor, sed stimulauit amor.
Maluit Imperio Virtus tua digna videri,
Quàm tanto, vel si posset, honore frui.
Hinc Pater ex Patruo sis Cæsaris, & vel in ipso
Se tibi tam grandis, Cæsare, debet honor.
Hinc tantâ virtute tuâ te vincis, & ipsum:
Principis est virtus maxima, malle regi.

CAPVT

CAPVT VIII.

Tolerantia iniuriarum & morborum.

NOn aio, in primâ huius elogij parte, fuisse quemquam tam proiectæ audaciæ, qui vel palàm per offensam aggrederetur Leopoldum, vel impudenter excogitatam calumniam in os oggereret: sors sua, atque etiam hostibus culta virtus, eum publicæ offensionis periculo eximebat. Quemadmodum tamen etiam in cælum fæculenta terra vapores emittit, quibus mortalium oculis ipsa solis serenitas offuscatur; ita, quæ altiùs eminet seu fortuna seu virtus, per occultas inuidorum machinationes, suas patitur nubes, quas ingenuus animus tantò sentit acerbiùs, quantò magis suæ sibi conscius est innocentiæ. Et licet solatio sit, quòd fortem suam supra vulnera esse experiatur; ipsa tamen in æmulo per occultas, tandemque proditas fraudes, nocendi voluntas animum sauciat. *LEOPOLDVS procul ab obtrectatione publicâ, merito nota virtutu,*

Præesse castris auctoritate Cæsareâ, Regio nomine gubernare Prouincias, ciuium æquè ac militum amores, imò & hostium occupare, ob res ad publici boni incolumitatem præclarè gestas ore omnium circumferri, & citra inuidiam, omnis mali architectricem, in quietâ felicitate consistere, vix equidem humanæ fortunæ crediderim. Sed quo animo feras æmulorum artes, permultum interest. Non sentire, non est hominis: non affligi, non cruciari, non animo deijci, non querimonijs aliorum aures implere, non meditari vindictam vindicare cùm possis; non oculum, non vultum ab æmulo auertere, non gratias subtrahere, non alloquio arcere; dilaudare etiam si quid laudabiliter egerit; hæc sunt virtutis supra humanam documenta. Viuunt etiamnum hodie, qui quæ passus est Serenissimus Archidux, citra mor- *non autem priuatâ.* *Eam patienter fert:* *imò beneficentiâ cumulat auctores,*

tis periculum tolerare potuiſſe obſtupeſcunt. Non patitur offenſa apud magnos vitanda ratio, vt ad ſingularia deſcendamus. Vulnerarentur acerbiùs qui Leopoldi animo vulnera inflixerunt, dum per oſtenſam huius inuictam tolerantiam, tolerandi præbuiſſe materiam proderentur. Loquor quod orbi notum eſt, fuiſſe qui tantum ſuæ ipſorum felicitati detrahi exiſtimabant, quantum fortunæ & auctoritati Sereniſſimi Leopoldi accederet. Quare vt huic demerent, opinionem excitare nitebantur ſuſpectæ fidedelitatis: quàm nempe pronum ſit tantâ potentiâ, tam conſtante amore militum, tam impenſo ciuium affectu corrumpi. Non ignorabat machinationes Archidux, imò nec machinationum architectos; vno ſe conſolatus animi teſtimonio, quòd poſt Dei gloriam vni Cæſari, Regi; Domuique Auſtriacæ protegendæ ſui capitis periculo ſeruiret, nullum ſuæ defenſioni argumentum admouit; nullas retundendis machinis machinas excogitauit; nullum, quamquam nec ægrè nec immeritò potuiſſet, nocumentum attulit; nullam vlciſcendi cogitationem ſuſcepit: imò, quod animum verè magnum decet, eos ipſos ad ſe accedentes, amico animo, ſereno vultu, blando alloquio excepit. Neque hîc ſtetit virtutis curſus: ſed dum malitia ipſa ferueret, ſi tamen aliquid pro publico bono egiſſent laudabiliter, primus ipſe apud Cæſarem, apud Regem ampliſſimis litteris commendabat. Vt demum & ipſi maleuoli teſtati fuerint, non potuiſſe ſe Sereniſſimo Archiduci tantam patiendi materiam exhibere, quam non ille infracto & imperturbato animo ſuperauerit. Liber illi, ex quo tantæ virtutis aphoriſmos addidicit, fuit ipſius patientis Dei tolerantia; quem cùm quotidie, priuſquam ad publica negotia prodiret, meditaretur indigniſſimis calumnijs affectum, ad parta libenti animo ſuſti-

faſſos vinci ſe.

ſuſtinenda ſeipſum animabat, & generoſâ voluntate reſoluebat.

Venio ad alteram hujus elogij partem, quâ morborum cruciatus à Sereniſſimo Archiduce patiente animo tolleratos ſuccincto calamo complector. Conſpiraſſe videbantur in vnum ſæuiſſimi quique, iſchiadicus, podagra, calculus, colica, cephalalgia, ſtomachi dolores & nauſea, febres; non vt ſingulari certamine eum aggrederentur ſinguli, ſed vt veluti collatis ſignis, & pleno exercitu vnà obruerent. Sed ne acutiſſima tormenta penetrarent animum, iam pridem cauerat, quando in Teſtamento animæ ſic ſtatuerat: *Decerno firmiſſimè quoſcumque diuinæ Maieſtati ſiue in vitæ decurſu, ſiue in metâ vltimâ mihi placuerit morbos, dolores & cruciatus immittere, eos cum diuinâ gratiâ æquo & patienti animo tolerare. Abſit à me, quoquam illorum aculeo aut grauitate ad vel minimam indignationem aut querimoniam commoueri.* Quod animi propoſitum ne in ipſo morborum æſtu excideret animo, ſibi ab eo, quem arcanorum animæ conſcium habebat, ſæpiùs prælegi poſtulauit. Hinc cùm ſuſcipiendis doloribus vix eſſet in corpore locus, animus tamen ferendis pluribus ſufficiebat. *In manu*, inquit, *Dei ſumus: expectabo, quid vltrà morborum mihi immittere placuerit, & libenter, conformando me eius voluntati, ſuſcipiam.* Ita ingens animus in humanâ infirmitate, diuinâ ſemper conſtantiâ ſubſiſtebat; neque ad ea, quæ nos dolorum lenimenta exiſtimamus, ad gemitus, ad querimonias deſcendebat. Sed dolores capitis taciturnitate, corroſiones ſtomachi ſilentio, tormenta colicæ animi conſtantiâ, calculi cruciatus immobili fortitudine decoquebat: vt nullum ex eo lamentum, nulla in tantâ dolorum tempeſtate querela, nulla intempeſtiuè deſideratæ valetudinis vota audirentur.

Conſtans ad examina morborum,

ex decreto ſuo, tum iuſſo ſibi prælegi, cùm torqueretur,

rentur. Quare hoc ei, qui quid tulerit optimus Princeps non ignorauit, post funera elogium scripsit: *Mortuus est noster sanctus Princeps, cuius mors sicut vita, cuius patientia sine exemplo.* Alius tot pariter dolorum & cruciatuum conscius adiecit: *Humanum est de doloribus queri: ipse, cùm tantis premeretur, vt ambigeres an ferre posset, sic tulit, vt dubitares an dolores sustineret, patientiæ non exemplum, sed simulacrum.* Vnde vsque hodie obstupescunt, & prædicant qui à quotidianis ei obsequijs fuêre, nullam vmquam in eâ patientiæ scenâ afflicti aut dolentis animi significationem vel visam esse vel auditam. Hunc ad tot mala consensum & æquanimitatem hausisse videtur de fontibus Saluatoris, cuius acerbissimos cruciatus & quotidianâ voluebat meditatione, & in ipso morborum furore sibi prælegi mandabat; vt eorum memoria suos sibi redderet si non leniores, certè amabiliores. Impetrasse ergo credam, quod aspiratione quotidianâ poscebat à Deo: *Da patientiam, Domine, & pacem seruo tuo, ne perdam coronam animæ meæ in cælo. Tu enim dixisti: In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras.* Nec dubitem, iam patientiæ mercedem accepisse, qui huius tantum pretium deposuit.

testimonio priuato consciorũ:

exemplo Christi patientis sibi proposito,

& postulato auxilio.

CAPVT IX.

Spontaneæ corporis & animi afflictationes.

RAra in Principum Aulis virtus, & si quando repeприatur, portento similis, cùm omnia ad voluptatem & sensuum delectationem inuitent, desideria tamen suis fraudare votis, genio minimùm indulgere, imò & spontaneis afflictationibus cruciare. Id tamen non segniter egit Leopoldus, in reliquos omnes mitissimus Princeps, in se vnum piè crudelis; cùm existimaret se suæ voca-

Afflictio sui spontanea, apud Principes rara:

vocationis obligatione ad maiorem virtutis perfectionem stringi, ita secum statuit, vt eius aduersaria produnt: *Ego indignus seruus seruorum tuorum Deus meus, coram Diuino tuo conspectu prostratus, spondeo me nullum animo desiderium aliud admissurum, quàm tibi vni seruiendi, vt sim ex toto tuus, & corpore & animâ. Cùm verò intelligam, suscepti à me status dignitatem exigere, vt ad maiorem virtutis perfectionem connitar, spondeo me vim illaturum sensibus, & immoderatos appetitus compressurum: nec enim mundus est posthac meus, nec ego mundi, sed totus sum Dei mei.* Et quamquam à teneris annis in id intenderit semper, vt animi inclinationibus frenum imponeret, corpus afflictationibus castigaret; ex eo tamen tempore, quo anno sæculi decimi sexti nono supra trigesimum hoc sibi decretum posuit, violentiùs in seipsum agere cœpit; adhibuissetque fortè ex illo æstuantis animi ardore complura valetudini nocitura, nisi prudentis Confessarij auctoritas calorem moderata fuisset. *familiarem sibi illam habuit* LEOPOLDVS.

Hærebat ad Zwikauiam in Bohemiâ exercitus: stabat vicinus hostis: diurni ac immoderati labores, vt par sequentibus esset, Serenissimo quietem imperabant. Daturus aliquid somno, strato decubuit, spectante, vt moris est, Camerario. Exoritur concubiâ nocte hostilis tumultus: accurrit Piccolomineus; excitari per Camerarium iubet Archiducem. Ingreditur hic cubile, reperitque non sine animi stupore optimum Principem non iam in molli lecto, sed super nudo pauimento stratum, & suauiter dormientem. Tetigit verecundia Archiducem; cumque celare factum non posset, rubore suo quàm vellet occultum testatus est: mandatum tamen adiecit, vt in cuius oculos hoc spectaculum incurrit, eius ore numquam proderetur. Quod ergo viuo Archiduce non licuit, mortuo manifestauit. *in cubili,*

ſtauit. Nec dubitem, id ab eo priuatim frequentiùs actum, quod etiam publicè conſcijs alijs ſæpiùs factitauit; dexteritate tamen quadam texit, ne virtutis nomine æſtimaretur. Nam dum exercitus duceret, ſæpiùs ſubſtrato dumtaxat pallio in nudâ humo ſub ipſo dio decubuit. Quod ignorarunt permulti eo viuo, non ſine admiratione poſt mortem deprehenderunt, acre flagellum, texti acutique ferri catenam, quorum illi in ſeipſum frequentior vſus.

in vſu flagelli,

in ſenſuum cuſtodiâ,

Senſuum aliorum dominus eos ſub imperio optimæ voluntatis continebat. Nulli ad ſuperuacanea, nedum ad illicita oblectamenta ſe protendendi facultas. Oculis omnis adempta licentia, etiam quam vrbanitatis & animæ leges admiſiſſent; in alterius ſexus formam eos defigere piaculum ratus, nec etiam in ſororum vultibus hærere voluit. A gubernante audiendæ quandoque fuerunt mulieres: ſed ne viderentur, legem ponebat oculis in terram defixis. Picturas amabat quidem; ſed, vtcumque raras, pulchras non credidit, niſi caſtas. Guſtum vulgaribus & facilè parabilibus aſſuefecit, delicatis ac ſumptuoſis abſtinuit. Inediæ ſtatos dies rigidè, his adiectos rigidiùs obſeruauit, peruigilijs præſertim Deiparæ Virginis, & eorum Sanctorum, quos peculiari affectu venerabatur. In Vini vſu ſeueriorem ſibi legem fixit, quàm Paulus Timotheo: eo quod neceſſitati ſeruiebat contentus, quod voluptati eſſet, non admiſit. Muſicæ amori induſſit aliquid, non vt aures oblectaret, ſed vt laſſatum curis animum reficeret. Argumenta erant, vel quæ pium excitarent affectum, vel quæ ipſe arguto calamo de Chriſti cruciatibus conſcripſiſſet: in theatrum ſi hæc prodijſſet, caſtam voluit; hoc ſi non ſaperet, aures non exhibuit. Flores miræ raritatis domeſticus hortus ſuppeditabat, naribus tamen virtutis conſilio ſubtrahebat: in conclaui indu-

induſtriâ ſeruorum locatos oculis ſæpè & naribus ſubmouit, auram magis innocentem ratus, quæ ſine oblectamento traheretur. Somni parciſſimus, vltra id quod natura exigebat, etiam inter longa militarium curarum faſtidia, non admiſit. Nec perſuadebatur ſuæ valetudinis neceſſitate, dum ſuas vigilias bono publico magis vtiles æſtimaret. *in moderato ſomno.*

Sed potentius fuit frenum, quod animo iniecit, vt cupiditates frangeret, ac Deo ſubijceret. Plebea virtus eſt, & vix inter prima ſanctitatis rudimenta accenſenda, corpus affligere, quæ vulgò prodigioſis ſolùm quibuſdam actionibus, & corporis maceratione metiri ſolita, æſtimatur: at animi affectiones naturâ indomitas, & in excelſo ſanguine vt plurimùm pertinaciores, ad imperium rationis cogere, heroica eſt ſanctimonia. Cùm nihil inter bona adnumeraret, quod Deus non eſſet, nihil inter mala, quod Deum non ſubtraheret, ceteris ne mouebatur quidem; fama, infamia; honor, opprobrium; laudes, calumniæ, hoc vno abſorbebantur. Hinc rebus ad votum cadentibus, occupatis vrbibus, fractis fugatiſque exercitibus, & ad omnem ſecundæ fortunæ allapſum numquam immodicè exultare; numquam fractâ fortunâ ſuâ, depoſito exercitu, ad illatas iniurias, ad inſtructas calumnias, vel animo deijci, vel frontis ſerenitatem mutare viſus eſt; numquam in præſentibus periculis formidare, numquam, quod vilis eſt animi, alienæ fortunæ inuidere; numquam impotentiùs iraſci, vel, quamquam indigna multa occurrerent, indignari; numquam inflari ſuperbiâ; numquam ambitionis aurâ afflari, vt meritò, qui ei ab arcanis animi fuit, hoc demùm ei elogium ſcripſerit: *Internos animi motus, ſicut & ſenſus externos, ita in omni occaſione cobibuit, vt nihil minus ordinatum in vultu, ſer-* *in animi affectionibus edomandis.* *Teſtimonium Confeſſarij.*

mone gestuque illius appareret; videreturque esse absque omni sensu, & in quadam perpetuâ malaciâ versari.

CAPVT X.

Cum Diuinâ voluntate conformatio.

CEteris virtutibus aliquid supra terrarum Principem, hac se propè Angelum exhibuit Leopoldus. Compendiosa verbis, sed ampla sensu diuinorum Spirituum illa est commendatio: *Potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum eius.* Cum quâ in eam veniebat communionem Serenissimus Archidux, vt ipsis etiam Religiosis, & à mundi strepitu submotis, esse possit exemplo. Magistrum in hac sublimi disciplinâ, post Deum, habuit Augustissimum Parentem, cui omnis vitæ regula erat, vna voluntas Dei: cuius cùm assidua videret exempla, quotidiana exciperet monita, & audiret documenta, ipsum quoque affectum, nunquam degener Filius, est secutus. Ad hunc commoneri se toties sentiebat, quoties Ecclesiasticum statum diuino nutu se elegisse recordabatur. Subibat enim animum, quantum hic cum Deo vinculum exigat; quod consistere omnino non posset, nisi vitâ suam ad omnem Diuinæ voluntatis flexum institueret. Quare si in prouectiore ætate ardua illi periculisque plena, pro Catholicæ Religionis bono, suscipienda munia, vel ab Augusto Fratre, vel ab Hispaniarum Rege deferrentur, Dei nutum sibi per homines indicatum existimabat, & eo subibat animo, quo qui præsentis Dei imperium accepisset. Iam enim tunc inter debita sua quotidie pendenda Deo consignauerat: *Totum me Diuinæ tuæ voluntati, in omne id quod de me, & nunc, & in æternum statuere placuerit, remitto. Non mea volun-*

Psal. 102.

LEOPOLDVS suâ cũ Diuinâ voluntate consensionem hausit à Patre FERDINANDO II.

electione Status Ecclesiastici prouexit:

executione rerum sibi tamquam à Deo commissarum absoluit, ex decreto suo;

voluntas, sed tua fiat in omnibus amantissime Deus. Iam manu suâ inter pacta & animi sui decreta scripserat: *Statuo omnimodè, in omnibus, quæ mihi obuenerint, obediendi occasionibus, iudicium meum & propriæ voluntatis arbitrium exuere, meque amore tui, mi Deus, non solùm tibi, & ordinariæ tuæ prouidentiæ, sed etiam tibi substituto, quem mihi præfecisti, quemque præficere libebit, cuiuscuius sit naturæ, conditionis, aut dignitatis, submittere, ac in omnibus ab eo dependere. Imò decerno mecum, in rebus licitis, & tibi Deo meo placituris, obedire tam æqualibus, quàm inferioribus, quorum voluntatem effectui mandare nitar, sine omni vllius meæ eminentiæ consideratione, tamquam mihi à te ipso coram esset manifestata, omnemque meam voluntatem penitus eradam, vt tuæ obsequar. Mihi verò legem pono, nunc abdicatam voluntatem in æternum non resumendi.* Iam ergo nulla ei seu corporis molestia, seu animi afflictio tam grauis accidere poterat, quam leuiorem non redderet pronus ille à Diuinâ voluntate acceptandi affectus. Quisquis enim rerum aduersarum turbo commoueretur, sancto illo Austriacisque Principibus familiari dicto sibi animum ad inuictam fortitudinem muniebat: *etiam in aduersis externis,*

Fiat Dei voluntas. Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.

At neque leues neque rari euenêre casus, quibus, quod animo statuerat, facto exhibuit. Post infaustam belli aleam, primùm ad Lipsiam, deinde ad Ienicouium iactam, consternatis, ac propè in extremam desperationem deiectis aliorum animis, vnus ipse animo nihil turbato, serenâ fronte Diuinæ voluntatis dispositionem exosculatus est: *A Deo*, inquit, *dispensantur victoriæ, eius nutu cadunt palmæ: obsequendum est etiam victis. Qui deprimere voluit, poterit, cùm volet, eleuare.* Sæpiùs aliàs: ad Len-

dium cæsus, ad Retheliam profligatus, solemne suum quà verbis ad milites, quà litteris ad Catholicum Regem repetebat: *Deus Dominus est, qui æquè felices ac infelices euentus dispensat: seu hos seu illos dederit, prono animo accipiendi sunt.*

Atrebati obsidione deiectum, & Duacum eodem die delatum accessit Collegij Societatis IESV Rector, vt per oblatas suorum preces afflictum, vt credebat, Principem solaretur. Præsumpsit & verbis animum, quem iacere existimabat, erigere: *Magnarum mentium*, aiebat, *esse aduersis non moueri; in his magis, quàm in secundis rebus virtutem elucere. Sed Austriacæ Domui proprium esse, aduersos rerum tumultus infracto animo excipere: hoc Carolum Quintum Cæsarem gloriosissimum agnatum suum, Philippo Secundo filio suo, vt quocumque res vergant, Diuinâ nixus voluntate non percellatur: hoc ab illo non sine posteritatis laude & admiratione præstitum, cùm potentissima illa classis tantis impendijs instructa, momento ad Angliæ littora dissipata fuit.* Hæc eâ vultus serenitate excepit Archidux, quæ facilè imperturbati animi malaciam proderet. Nihil ergo de fortunâ, nihil de suorum segnitie aut incuriâ, minùs de infidelitate questus, ita paucis reposuit: *In manu Dei sumus, cuius prouidentiæ & voluntatis legibus gubernamur. Egimus quod humana prudentia suggerebat: in omnem partem, quà licebat, prospeximus. Res cecidit infra humanum votum, sed animum non oppressit. Acquiesco suauissimæ Dei prouidentiæ, cuius nutu didici non minùs aduersos casus, quàm secundos exosculari.* Nec plura locutus se horario dicendo penso accinxit, tamquam nihil sibi aduersum accidisset.

& internis, At exteriorum iacturam suauissimæ Dei Prouidentiæ attribuere, non æquè fortassis arduum est, ac diuinis sola-

ſolatijs deſtitui, ijs præſertim animis, quos conſueuit aliquando Deus liquidis cæli voluptatibus perfundere. Promptitudo & alacritas, quâ ſe Archidux ad orationem rerumque diuinarum contemplationem accingebat, oris oculorumque amœnitas quâ eidem vacabat, prolixum tempus quod impendebat, facilè indicabant animum non ſolùm Deo intentum, ſed etiam interiore quodam guſtu perfuſum. Placuit tamen quandoque Deo, cæli ſolatia Archiduci ſubtrahere: at ille non ideò vultu triſtior, non animo languidior, non tempore breuior. Quod animi delicijs defuit, Diuinæ voluntati adiecit: illâ identidem vſus aſpiratione: *Tibi dixit cor meum, elegi te, Deus meus: faciem tuam & voluntatem tuam requiram. Te confiteor labijs, te toto corde, te totis viribus concupiſco; & ne claudas ora canentium te, Domine Deus noſter: tu es ſuſceptor meus, & refugium meum in die tribulationis meæ.*

Eripiebant quandoque publica negotia tempus illud, quod illi ſuauiſſimum erat, cum Deo familiariùs agendi: at ille prolixitatem temporis breuis affectûs calore compenſabat, *Paratum*, aiebat, *cor meum Deus, paratum cor meum ad faciendam voluntatem tuam: memor ſum mandatorum tuorum.*

Venio nunc ad ea, quæ corpus violentiùs ac pertinaciùs tangunt. In ijs quæ ad cutem non perueniunt, quantumuis ſenſum animo imprimant, conſentire Deo, magnarum quidem mentium eſt; in morbis tamen, qui & corpus exulcerant, & animum affligunt, Dei voluntatem reſpicere, non niſi Sanctorum, & omnino paucorum eſt. *in morbis.*
Vt proinde hæc in Sereniſſimo virtus tantò magis ſit æſtimanda, quantò plures acrioreſque morbos in eum vno tempore ſimul irruiſſe ſuprà oſtendimus cap. VIII. Quod

ſanus orabat quotidie, æger non omittebat: *Ego, licet vi-liſſimus, ad tuam tamen gratiam & familiaritatem vocatus, ad dignitatem filij inuitatus, nihil aliud cupio, niſi tibi in omnibus placere, & ad tuam ſanctam voluntatem currere.* Auſus eſt ſæpiùs cum Doctore Gentium tot aduerſitaribus preſſo, tot infirmitatibus afflicto concertare, illudque in
2.Cor. 12. vehementiſſimâ morbi vi vſurpare: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.*

Defluxerat optimo Principi catharrus in aurem, & propè omnem auditûs facultatem eripuerat. Iam malum pertinax euacuauerat omnem Medicorum artem, credebaturque nullo remedio tolli poſſe. Tunc ergo nec conſilijs adeſſe licebat, nec tractare publica, nec ſuauiſſimâ ſui Nepotis conuerſatione frui, nec mutuæ confidentiæ argumenta accipere. Pronum erat, quò minùs ſentiebat auditu, plus animo cruciari, mediâ humani commercij parte ſublatâ. Tangebantur eius mali dolore omnes, qui tam amabilis Principis affectu tenebantur: ipſe ſolus ad præſentiſſimam ſuam in aduerſitate medicinam refugit: *Non licet*, aiebat, *ampliùs audire hominum verba; licebit verò tantò attentiùs loquentis Dei ſermonem excipere. Audire velim, ſi velit Deus; nolim, ſi nolit. Fiat ſanctiſſima voluntas Dei. Atque vt hanc artem, voluntatem meam cum Diuinâ confundendi addiſcam perfectiùs, ex nunc decerno, vbi tempus & occaſio tulerit, ab alio mundi ſtrepitu ſubmotus, per Aſcetica ſancti Ignatij exercitia diſciplinam ſubire. Nullam enim in perpetuo rerum humanarum turbine quietem reperio, niſi in ſolâ animi mei cum Diuinâ voluntate conſpiratione.*

In votis pro valetudine, Tametſi verò aliquando reparandæ valetudinis causâ, vota Deo Diuiſque conceperit: non fuit hoc tamen proprij animi aut maior in ſanitatem propenſio, aut immodicum illius deſiderium; ſed depoſitæ ſuæ, & in alienam, quam

quam Diuinæ loco habebat, transfusæ voluntatis argumentum. Neque enim priuati sui sensûs dictamine erumpebat in vota, sed conscientiæ suæ moderatoris aut suggestione, aut approbatione; cuius nutus in animæ rebus habebat pro Diuini beneplaciti interpretatione. Ideoque illud semper edendo sacramento exordium præmittebat: *Ego Leopoldus, impulsus desiderio adimplendi in omnibus tuam sanctissimam voluntatem, prosterno me ante oculos Summæ Maiestatis tuæ, coram sanctissimâ Virgine* MARIA, *& Curiâ tuâ cælesti vniuersâ, supplexque oro*, &c.

Sed quæ in supremo morbo edidit huius virtutis specimina, tantò sunt excellentiora, quantò innatum omnibus vitæ producendæ desiderium difficiliùs est extirpare. Enimuerò tum supra conformitatem suæ voluntatis cum Diuinâ ad quamdam vniformitatem ascendisse est visus. Conformitas enim est quidam duarum voluntatum consensus eiusmodi, vt licet in alterâ obluctetur natura, cogatur tamen ad alterius leges, & parendi studio ad obsequium redigatur. At vniformitas vel extinguit humanam, vt soli Diuinæ sit locus; vel ita Diuinæ immergit & confundit, vt iam non duæ distinguantur voluntates: dum anima superiori beneplacito sic acquiescit, quasi suæ ipsius naturæ obsequeretur. Quare cùm extenuatum corpus vrgerent acerbati dolores, quod pridem cum Deo pepigerat fœdus, & Testamento animæ inserûerat, sæpiùs sæpiusque sibi legi voluit ab assistente Sacerdote, quòd id potissimum tempus esset ea arma exercendi, quæ pridem huic conflictui præparasset: *Ante omnia me in Diuinæ Maiestatis tuæ manus cum perfectissimâ voluntatis meæ abdicatione repono, meque promptissimum offero ad quodcumque mortis genus, per quod tuæ Maiestati placuerit animam meam ab hoc corpore resoluere: precorque demississimè,*

maximè extremo vitæ tempore.

vt

vt illud sit, quod Diuinæ tuæ Maiestati maximè placuerit: veni, atque eo tempore, eo momento, quo erit pro summâ tuâ gloriâ. Id verò cùm legeretur, latentem animum prodebat vultus, & in verba excussi affectus. Aiebat enim aliquando: *Bibam, Domine, vsque ad fundum calicem, quem miscuisti mihi: fiat voluntas tua.* Aliàs sic imagini crucifixi Dei intentus: *Domine, si adhuc obsequio gloriæ tuæ & saluti animæ meæ vtilis est vita mea, non recuso à vespera quietis redire ad laborem & sudorem: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Cùm acerbitas dolorum sæuiret crudeliùs, *Pater*, inquiebat, *mi, exosculor, & adoro manum, quâ me flagellas: non ero tibi refractarius filius: quoniam ecce in omnia tua flagella paratus sum: virga tua & baculus tuus, ipsa me consolantur: apprehende disciplinam, & osculare filium tuum.* Denique iam breuiore halitu ad supremum agonem monente: *Deus meus mortuus est volens & libens: eamus & nos, & moriamur cum illo, eâdem quâ ipse (quoad fieri potest) promptitudine voluntatis. O Pater, inclino caput meum sub beneplacito tuo. Tu scis quid mihi opus sit, qui omnia momenta mea dinumerasti. In manus tuas commendo tempus & momentum mortis meæ. Tuum est mandare, meum inclinato capite obedire.* Ex his voluntatis suæ ad Diuinam vnitæ argumentis, quidni liceat piè credere, qui cum IESV factus est obediens vsque ad mortem, cum IESV quoque exaltatum?

CAPVT XI.

Mors.

NOn æqua omnibus benè moriendi cura; at certa moriendi necessitas. Supremæ horæ prouidentia omnes alias Leopoldo inquietas fecit. Ne repentè moreretur, moriebatur continenter, omnem quem viuebat diem

diem ſupremum arbitratus; neque enim differendum exiſtimabat diſciplinæ ſtudium, quam an aſſecutus ſis, experiri non licet. A puero curauit vt bene viueret; ſed eadem fuit bene ſanctéque moriendi ſolicitudo: neque enim aliud ſecurius eſt ad mortem iter, quàm vita cum virtute traducta. Seu Pontificem ageret, ſeu Belli-ducem, venientem diem omnem ſalutabat, tamquam ante ſolem occubiturus: noctem excipiebat, tamquam ad æternam requiem tranſiturus. Ne diei decurſu ſui occaſûs memoria excideret, eam mortis ſymbolo, quod granis Coronæ Virgineæ appenſum gerebat, excitabat, verſabatque quotidianâ manu ſæpiùs, & animo ſemper. Non dies illi ſolùm, ſed & actio quæuis ſuprema fuit. Ita enim egit, tamquam poſteà acturus numquam, præſertim ſacras animæ exomologeſes, Miſſarum ſacrificia, ſacras Euchariſtiæ epulas, frequentiores compuncti cordis contritiones, conſilia, publicorum negotiorum tractationem, & quæ ſeu naturâ ſuâ, ſeu agentis intentione ad Dei gloriam diriguntur. Adeoque, vt mors numquam occuparet imparatum, ſanus, quî mori vellet, animæ ſuæ Teſtamento irreuocabili inſcripſit, quo tuto eamdem morti committeret à corpore ſeparandam. Quod, quia omnino religioſum eſt, & animum ſapit Antiſtite dignum, ad verbum imò apicem expreſſum adiungo, prout annis ante mortem duobus & viginti conſignatum ab eo, & quotidie ratum habitum eſt.

LEOPOLDVS perpetuâ mortis curâ & cogitatione ſæpè præmoritur ante mortẽ,

condito, & quotidie per annos 22. rato habito animæ Teſtamento.

LEOPOLDI
TESTAMENTVM ANIMÆ.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

EGo Leopoldus Guilielmus, hodie per Dei gratiam ſanâ mente & corpore, libertate plenâ, & maturâ deliberatione, coram Chriſto meo crucifixo, tamquam vero fonte ſalutis meæ, condo Teſtamentum meum, ex hoc in horam mortis meæ.

Leopoldi proteſtatio Fidei,

Principio, Confiteor coram ſanctiſſimâ Trinitate, Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, beatiſſimâ Virgine, ſanctis Patronis meis & Curiâ cæleſti vniuerſâ, credere me firmiter quidquid ſancta Sedes Catholica Romana credit, mandatque credi fidelibus; atque in iſtâ ſanctâ Fide volo viuere & mori, eâ ratione, vt ſi quid fortè (quod auertat Deus) dixero, cogitauero, fecero contra Fidem iſtam ſanctam quocumque caſu, vel ſuggeſtione diaboli, ex hoc reuoco illud, & annullo; ac proteſtor, nolle me in quid ſimile vel conſentire, vel quoquo modo concurrere.

& conſtantia in virtute,

Quod ſimili modo proteſtor de quauis aliâ tentatione, quâ mihi poſſet diabolus illudere, vel oppugnare me. Nec enim ex hoc in æternum eſt eritque conſentiendi vlla mens; verùm deliberatio firma reijciendi, & abominandi omnia ex amore Domini mei, cui ſemper fideliſſimus eſſe volo cum auxilio eius; atque hoc, & quidquid hoc meo teſtamento, & omnibus adhuc factis ex guſtu Dei, continetur, quidquid à Dei ſeruis vllis hactenus ſeu viuis ſeu mortuis per promiſſa & proteſtationes inuentum eſt, volo & intendo, Deo benè adiuuante, ac ſpero exercere opere actibuſque virtutum, quà internis, quà externis totâ vitâ meâ, quam agere deſidero in vnione meritorum Domini mei IESV CHRISTI, *beatiſſimæ Matris eius ac Virginis, Sanctorumque omnium qui in cælo, ac iuſtorum qui in terrâ ſunt. Quæ mea vota opto intendoque*

per reſpirationes & momenta ſingula,

renouare

renouare quouis motu meo externo vel interno, respiratione quauis, ab hac quam modo duco, vsque ad extremam: ac præcipuè iterare semper certum ac fixum mihi decretum non offendendi vel in minimo Deum meum; sed curandi vt illi placeam semper magis, seruiendo, & amando pro viribus, optandoque honorare illum in immensum, & æternum; idque propter illum solum, & nullo intuitu boni vel commodi mei, quo mouear aut moueri possim, ad faciendum aliquid ex gustu eius; cupioque, vt duret hic mihi sensus animi dum viuam, semper, ac denique dum moriar, quando quàm efficacissimè hæc agere ac innouare decerno; itaque deducere pauperculam animam meam per sanctissimorum foramina vulnerum, fontium salutis æternæ, per quæ securè spero obtenturum me veniam grauissimorum meorum peccatorum, & æternæ vitæ sententiam. *ex puro amore Dei.*

Tum, si quo casu horâ illâ vltimâ non petiero, vel petere non potuero Sacramenta sanctissima Confessionis, Viatici, & Vnctionis extremæ, ex hoc in tempus illud protestor, desiderare me illa corde toto, & instantissimè, humillimeque postulare, ardenter optando, in huius meæ vitæ ad alteram transitu, habere comitem Dominum meum; confidens fore, vt, si illum mecum habuero in sanctissimo Viatico, dicam illi securus: Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Confido quoque vnctum me sacro Oleo confortandum eius gratiâ, ne succumbam assultibus inimici; adeoque precor, vt vnà cum illo vngere velit oleo misericordiæ suæ externos internosque sensus meos, totamque animam meam, remittendo mihi peccata, de quibus me fortè non accusauero in Confessione, expressa voce meâ; quod, si quo modo potuero, omnino facere non omittam. Interim contritus corde toto, coram Deo meo accuso me de omnibus quæ commisi in Diuinam eius Maiestatem leuibus iuxtà ac grauibus, inde ex quo eam offendere primùm cœpi, seu facto, seu cogitatione, siue verbo, *Votum suscipiendi extrema Sacramẽta.* *Dolor de peccatis ex amore sincero Dei.*

bo,

bo, seu modo qualicumque; quin & de ijs, quibus (quod ô ne velit Deus!) eum fortassis aliquando offensurus sum: quorum omnium immensè me pœnitet, non alicuius damni mei temporalis vel etiam æterni vllo intuitu, sed ex solâ offensâ superamantissimi Domini mei quem amo, & amare semper debui plus quàm omnia; quod facere decerno firmissimè, adiuuante eius gratiâ, omni planè tempore in quod illi placuerit prorogare vitam meam.

Spes in Deum & confidentia. *Quamuis agnoscam & confitear grauissima delicta mea, & ijs infernum plus quàm vnum promereri, & nulla fecisse me meritoria æternæ vitæ opera; aut si fortè quæ fecerim per gratiam eius, ea fecisse me per incuriam meam permista imperfectionibus multis; nihilominùs quàm longissimè remotus ab omni præsumptione, infinitè confido in bonitate & in misericordiâ Domini mei, & thesauro inexhausto meritorum Christi Domini nostri; quibus placatus acceptare debeat pœnitentiam meam, condonare mihi peccata mea quamuis grauia, reddere me gratiæ suæ, in eâque ad mortem vsque conseruare, quâ perfunctus per eius gratiam & solam, spero amaturum me illum, & gauisurum cum eo in æternum.*

Iniuriarũ remissio data & petita. *Remitto item ex amore puro Dei mei iniurias omnes, quas à quacumque personâ, qualicumque modo ego accepi, vel accepturus sum, idque tam integrè, tamque ex animo, vti desidero à Deo remitti mihi peccata mea. Simili modo, si quem offendi ego, quacumque id à me ratione factum sit, eum ego humillimè rogo, vt & hanc mihi remittere offensam velit, offeroque illi qualem aut quantam à me exigere satisfactionem ipse possit, & ego reddere; ac insuper omnia merita Domini mei Iesu Christi, & quæcumque alia, quibus illi fieri possit satis.*

Gratitudo pro beneficijs. *Immensas reddo gratias Diuinæ Bonitati pro beneficijs omnibus communiter ac priuatim in me collatis, signatè Creationis, Conseruationis, Redemptionis, Fidei, Sacramentorum, &c.*

tum

tum quòd toties à me auerterit pericula tot ac tanta: quòd hucusque mihi conseruauerit vitam, eripiendam iure sæpiùs ex demerito meo, indulseritque pœnitentiæ locum ac tempus, quam ex hoc cum eius gratiâ firmißimè statuo, libentißimè subiturum me.

Protestor insuper in præsens, velle me (auxilio eius iuuante) suscipere cum resignatione, & cum patientiâ ferre tormentum omne cuiuscumque morbi aut doloris, quod à me exigere placuerit Maiestati eius, siue in vitâ, siue in morte; neque volo, vt quodcumque illud fuerit, vim habeat vrgendi me ad actum vel minimum indignationis, vel impatientiæ. Quòd si ex infirmitate meâ contigerit in quid simile labi me, protestor non hunc fore defectum auersæ voluntatis meæ; atque ex hoc huius delicti mei à Deo veniam peto. *Resignatio & patientia in tormentis etiã extremis cuiuscumque morbi,*

Et supra omnia, cum perfectâ resignatione & patientiâ totum me in sanctißimam Dei manum trado, promptißimè offerendo me ad quamcumque quam ille à me exigere conditionem mortis volet; humillime supplicans Maiestati suæ, vt illa ei cedere tantùm poßit ad libitum gloriamque suam, & animæ meæ ad salutem; protestando, me sine vllo respectu ad commodum meum, ex solo eius beneplacito optare, vt mea mors mihi inferatur tormento vel dirißimo, præsertim martyrij, in testimonium sanctæ Fidei à me tolerati, quod fortunatum mihi duco cùm offero, multoque fortunatiùs futurum ex voto meo, si cum eius gratiâ etiam ferre poßim aliquando, quo præstitâ vel sic satisfactione pro peccatis meis grauibus, comparere poßim purior in conspectu eius. *& cuiuscumque mortis, sine martyrij, quod optat,*

Atque talem ego mortem à morbo vel tormento quouis pronißimâ voluntate suscipiam cum Diuinâ eius gratiâ, quacumque horâ vel momento hoc illi placuerit, cupiens illi soli viuere & mori; atque ex hoc vnio qualemcumque mortem meam cum morte sanctißimâ Christi Domini mei, precatus *siue alterius, etiam violenta,*

vnita cum morte Christi. *æternum Patrem, vt recipere dignetur ſpiritum meum vnà cum ſpiritu Filij ſui & Dei mei in cruce ipſi commendato; oranſque ex hoc pro illo tempore, dicenſque cum illo: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum.*

Imploratio ſuffragiorũ pro ſe. *Adhæc, per viſcera Chriſti mihi ſuperuicturos obteſtor, vt mei, ad longum fors tempus Purgatorio detinendi, in ſuffragijs & orationibus ſuis meum ad auxilium meminiſſe ſaltem velint, quò citiùs tranſire poßim ad gaudium cum Domino meo, coram quo promitto, me nec immemorem fore impenſæ mihi charitatis, nec ingratum.*

Conſtitutio Tutoris animæ ſuæ, *Denique Tutorem animæ meæ corpore iam ſoluendæ, conſtituo Cuſtodem meum Angelum; precatus eum, vt, quod illi in vitâ præſtitit, præſtare etiam in morte meâ velit, neque deſerere me, ſed comitari, defendere & protegere in iudicio Dei, animamque meam deducere in locum ſalutis æternæ.*

& Executoris: *Cumque hæc mea ſit ſuprema voluntas & vltimum Teſtamentum, maioris causâ firmitatis, Executricem eius inſtituo beatißimam Virginem Mariam, Dominam & Matrem meam; quam humillimè rogo, non me deſerat in horâ mortis vltimâ, ſed magis quàm vmquam tunc me adiuuet, confortet, atque defendat.*

coram ſanctis Patronis, *Ad quod etiam inuoco ſingulares Patronos & aduocatos meos Sanctos, præcipuè S. Ioſephum, S. Ioannem Baptiſtam, S. Petrum, S Paulum, S. Hieronymum, S. Auguſtinum, S. Leopoldum, S. Guilielmum, S. Franciſcum, S. Dominicum, S. Ignatium, S. Xauerium, S. Annam, S. Mariam Magdalenam, S. Catharinam, S. Vrſulam, S. Barbaram, S. Gertrudem, S. Agnetem, S. Cæciliam, S. Agatham, S. Tereſiam. Vnaque omnes Sanctos Sanctaſque, qui in cælo ſunt, eos maximè quorum reliquias appenſas collo gero; quos per amorem quem habent in Deum, oro & adiuro, mihi vt quoque amici in extremo vitæ puncto, & fideles eſſe velint defenſores*

in

in hostem, & auxiliarij in necessitate. Itaque coram illis omnibus, vt testibus conuocatis, hoc meum scriptum consigno, cupiens valere hoc semper pleno robore, & valore Testamenti vltimi, causâ mortis, illudque confirmans nunc sanâ mente & corpore, in horam meæ mortis, si tunc fortè non possim. In quorum firmitatem maiorem hisce subscribo manu meâ, vigesimâ secundâ Augusti, 1639. *vt testibus.*

LEOPOLDVS GVILIELMVS.

Vt autem artem illam securè sanctèque moriendi, cuius viuis nullum est experimentum, perfectè comprehenderet, quosquos de eâ commentarios habere potuit, accuratâ lectione peruoluit: frequentiores ipse de bene moriendi scientiâ meditationes instituit, quarum fructus fuere aspirationes quotidianæ, quas familiari suo libello inserüit: *Praeparatio ad mortem. per meditationes, & aspirationes,*

O diem ineuitabilem! statutum est omnibus hominibus semel mori.

O horam incertam! quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet.

O momentum, à quo pendet æternitas!

Itaque vt rectè præparatus ad illum diem, horam & momentum ita viueret, vt numquam non & securus mori posset, actus sublimiorum virtutum Fidei, Spei, Charitatis, voluntatis suæ cum Diuinâ coniunctionis, sibi penè horarios reddidit, vt essent in promptu cùm forent necessarij. In belli periculis, in quibus erat omnino impauidus, non alio securiorem se dicere solebat munimento, quàm loricâ bonæ conscientiæ, quæ, si feriatur corpus, vulnus ad animam non admittit. Si quod ex vicino discrimen ingrueret (neque enim se vlli eripiebat) è Societate IESV Sacerdotem pariter cum tanto Principe vitæ prodigum, ad latus semper habere voluit, vt horam suam decre- *& crebros actus virtutũ Theologicarum: maximè in belli periculis: per præsentiam Confessarij assiduam in illis:*

decretoriam illo præsente vel esse securam ostenderet, vel faceret. In decretorijs verò aliorum vitæ mortisque sententijs, benigniorem semper tulit, Deum imitatus; vt benignam ab eo consequeretur. Quantoperè demum omni tempore extremum illud momentum cordi habuerit, liquere potest etiam ex eo quod alios docuit. Solent enim impensa alijs documenta affectus proprios detegere. Northaimio sub diem trigesimam Octobris anni 1641. ad Comitem quemdam Camerarium suum scripsit in hæc verba: *Mi Michaël, hæc animo volue semper: Quis scit, si prorogabitur tibi viuendi tempus ad vesperam, aut quâ morte sis moriturus? Humana cuncta fumus, vmbra, vanitas, & scenæ imago, &, verbo vt absoluam, nihil. Sicut hominibus statutum est mori, ita statutum est iudicari. Euitare non potes Supremi Iudicis sententiam. Iudicandus es, & in quo statu te demum inueniet, in eo vel condemnaberis, vel saluaberis. Sic sentio inter arma; tu hæc diligenter rumina.*

per sententiam mortis in alios clementer latam:

per documenta alijs data.

Morbi lethalis initium:

Sic ergo pridem comparatus ad obeundam piè mortem, anno M.DC.LX. dum Prouincias hereditarias cum Cæsare obit, Labaci in Carnioliâ grauiore morbo deiectus est; & fuit ille fatalis, nec vmquam depellendus omnino. Recruduit certè anno M.DC.LXI. VIII. Octobris Eberstorfij, cum capitis calculique tormento graui, quo ad extrema deductus, ope, vt creditur, sancti Francisci Xauerij quam implorarat, mali se remittentis aliquas quasi nactus inducias est, extremum tamen impetum, à Deo decretum scilicet, non euasit; quem vt sustinuerit ille fortiter & Christianè priusquam explico, operæ pretium censeo vt exponam, quî se habuerit per orationes ac perpetua pietatis exercitia, agendo cum Deo toto morbi sui atque adeò mortis supremo tempore.

recrudescentia miraculo, vt creditur, depulsa.

Exercitia pietatis in morbo:

Sacrificio Diuino interfuit quotidie, Dominicis etiam Festis-

Festisque diebus geminato; eius audiendi cura euigilanti semper prima fuit. Diuinum Officium, si per atrocissimos morbi dolores persoluere non posset, pensabat Rosario Virginis. Sacras quibus assueuerat preces benè longas, præsertim matutinas & vespertinas, donec potuit, quotidie ipse legit; dum vltrà non potuit pronuntiare illas voce suâ, à Confessario sibi prælectis ipse non annuere tantùm solitus, sed etiam fractis licet vocibus respondere. Quin & indies, ad horas etiam plures, auscultare solitus quæ recitari volebat sibi ex libro quopiam illorum qui negotia tractant animæ, ac spiritus iungendi principio suo; ostendebatque, per illos velut accrescere, vel inter sensus morbi acutissimos, robur aliquod sibi, vimque viuendi; adeò vt posset cum S. Paulo dicere: *Cùm infirmor, tum potens sum.* Suum animæ Testamentum, cuius antè memini, quoties (quod volebat) sibi prælectum audiret, inardescebat animo, scilicet effusus in Deũ totus per actus planè heroicos, quibus illud constat, sensusque Virtutis.

Ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum quot Dominicis accedere, quod assueuerat viuens & valens, nec morbi nec mortis tempore prætermisit vmquam; & quidem decenter quoque vestitus, quamdiu moueri lecto potuit, & de genu; eâ causâ sitim sæpè acerbissimam à mediâ nocte ad auroram vsque sustinere se fassus, & libenter; vt ne arceretur, humano potu refocillatus, à Diuino fonte vitæ. Et quidem eâ quæ nonam Iulij antecessit nocte, cùm arderet insolente & non tolerandâ prorsus siti, sustinuit tamen eam constanter; professus medico suo candidè, non prohibendum fuisse se à bibendo humanâ vllâ vi, vel ratione, sed facilè ac libenter prohibitum fuisse Diuinâ.

Vsu venerabilis Eucharistiæ, cum grauissimâ siti ob eam toleratâ:

Sic comparatus animo, eò demum redactus est infirmitatis, fatiscente toto corpore, vt ali iam vltrà nisi lacte

caprino vel asinino non posset; quo potu cùm virium accederet aut nihil, aut parum, pro extendendâ vtcumque vitâ tam cari capitis solliciti medici, censuêre spem esse producendæ eius, si ab vbere mulieris lactantis lac viuidum ipse sugeret: sed ad hoc remedium tam insolens cohorruit scilicet verecundus omnino castissimusque Princeps, & abominatus est, non obscurè significans, non esse sibi vitam, imò nec valetudinem omnem tanti, vt eius causâ ad illa sese, Statui suo Ecclesiastico, & vel maximè integritati tam aduersa, demitteret.

repudiato mortis remedio, vt putabat, nõ decente.

Itaque ad diem tertiam Nouembris planè prostrato, præter symptomata varia, difficultatemque respirandi ex angustijs suppressi pectoris, copiosus, nec ille salubris, sed fatalis sudor accessit: ex quibus cùm subsequente die laboraret etiam grauiùs, sacro Viatico ad ingrediendum iter æternitatis, suâ ipse sponte communiri, & confirmari ad luctam vltimam oleo sancto petijt, & impetrauit, eâ pietate suscepta, quæ Christianum Principem & talem decet. Mox Cæsari Nepoti suo tenerè lacrymanti supremum dixit vale, acturus cum solo deinceps IESV suo, cuius è cruce pendentis effigiem à die illo appensam collo suo non ipsâ in morte reliquit. Quibus ille verbis, quibus oculis & osculis salutarit identidem appressos arctè suo pectori amores hosce suos, negat, qui præsens adfuit semper, conscientiæ testis intimus, vel oratione vllâ complecti posse se, vel sine sensu pietatis intimo cogitare. Et fuêre illi affectus animæ sanctæ, tum præcipuè vehementes, cùm iterum iterumque in sibi prælecti Testamenti sui sacra verba, quorum antè memini, & decreta iuraret.

Sacramentorum supremorum susceptio.

Occupatio cum solo IESV crucifixo,

per affectus tenerrimos.

Sic animo hinc hærentem Deo suo, luctantem inde cum corpore in mortem prono, dies ipsos quindecim,

Agon.

à IV.

à IV. ad XIX. Nouembris per interualla intendens remittensque sese infirmitas, tenuit; donec oblatis Christo, & huic crucifixo, supremis angustijs suis cum illo moriente coniunctis, reficiendusque ad auroram, sub exiguâ specie panis, Domini corpore sibi in Sacrificio porrigendo, Pontificiam quam vocant Indulgentiam ab Apostolico Nuntio Carolo Caraffa (nunc Eminentissimo Cardinale) lætus accepit. Itaque sub V. matutinam XX. Nouembris *Mors.* anni M.DC.LXII. anima illa religiosa & pia (vti de suæ matris Monicæ Augustinus loquitur) corpore soluta est; cùm vixisset in illo annis XLVIII. mensibus decem, diebus tredecim; sibi ac Deo satis, sed communi voto ac desiderio parum, quod ingens sui reliquit apud omnes, apud paucos spem æmulandi, nedum assequendi aliquando, tam excellentes, tamque submissas Deo in tantâ dignitate Virtutes.

MAGNORVM DE VIVO ET MORTVO LEOPOLDO TESTIMONIA.

Testimonia de viuente.

§. I.

ETsi magno interuallo distent, magnum sanctumque esse, ac dici; hoc tamen habet integritas vitæ proprium, vt, nequidquam obsistente inuidiâ, plurimorum præconia trahat; quæ etsi domesticæ pulchritudini nihil adijciant, seruiunt tamen intuentium oculis, vt Solis radius ad venustatem floris percipiendam. Quare non abs re facturum me existimaui, si nonnulla magnorum ac illustrium virorum testimonia prodam, quibus tam Christianam & Religiosam, quàm Politicam & Militarem Leopoldi virtutem sunt prosecuti. Omitto, quæ antè à me allata sunt, Summorum dicta & rescripta Pontificum, quibus prosecuti sunt eiusdem Archiducis nostri eximiam cum singulari eius laude virtutem. Quod Innocentius X. anno M.DC.LI. vndecimâ Nouembris de eodem dedit testimonium, hîc subnecto: *Inter consolationes, quibus ob misericordiam suam benedictus Deus Pontificatûs nostri tempore Nos impertiri dignatus est, ea profectò fuit, cùm Fraternitatis tuæ zelum illum vidimus, quo vt primùm ad istarum Belgij Prouinciarum gubernium accessisti, Constitutionis à felici recordatione* VRBANO VIII. *Prædecessore nostro contra Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis Augustinum editæ obedientiam, adeò iniustè & pertinaciter in aliquibus Prouinciarum*

De LEOPOLDO *viuo testimonium Pontificis* INNOCENTII.

ciarum regimini tuo subiectarum locis oppugnatam, defendendam & promouendam aggressus es. Gaudebamus audientes, te non solùm de Iansenij doctrinâ sileri omnino velle, verùm etiam ad officia & dignitates non nisi eos qui Constitutionis obedientiam etiam iuramento professi essent, admittere, &c.

INNOCENTIO X. in Petri Sedem successit, qui Ecclesiam Dei nunc, cùm hæc scribimus, feliciter regit ALEXANDER VII. atque vnà in eam quam Decessores eius summam habuere de Leopoldi virtute opinionem; ad hunc ille, cùm Sedem Vratislauiensem ipsi committeret, ita scribit anno M.DC.LVI. Ianuarij XXI. *Dilecte Fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Apostolatus officium, meritis licet imparibus, per ineffabilem Diuinæ largitatis abundantiam nobis commissum, quo Ecclesiarum omnium curam gerimus, salubriter exequi coadiuuante Domino cupientes, solliciti corde reddimur, & solertes. Et cùm de ipsarum Ecclesiarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Pastores præficere studeamus, quorum præsidio & auctoritate, ac directione prouidâ, illæ non solùm à noxijs & incommodis præseruentur; sed etiam, suffragante superni fauoris auxilio, felicibus valeant incrementis prosperari*, &c. *Hinc est, quòd Nos eximiarum virtutum, quibus bonorum omnium Largitor personam tuam cumulatè insigniuit, te in Episcopum præficimus & Pastorem: curam, regimen, & administrationem dictæ* [Vratislauiensis] *Ecclesiæ tibi in spiritualibus & temporalibus plenariam committendo, firmâ spe fiduciâque conceptis, quod dirigente Domino actus tuos, eadem Ecclesia Vratislauiensis sub tuo felici gubernio regetur vtiliter, grataque in spiritualibus & temporalibus suscipiet incrementa*, &c. Idem ALEXANDER VII. cùm Leopoldus depositâ gubernatione Belgicâ ad suas Ecclesias redijsset in Germaniam, suum de earum ex hoc secuturo bono gaudium testatur

ALEXANDRI VII.

Eiusdem.

 his

his verbis anno M.DC.LVIII. decimaoctauâ Maij: *Dilectus filius noster Cardinalis de Ilco Fraternitatis tuæ litteras Nobis tradidit, & de eiusdem eximijs virtutibus, ac zelo, nouum & luculentum testimonium reddidit, quæ Nos profectò non tamquam nouâ, sed veluti gratâ semper & iucundâ ingenti lætitiâ planè affecerunt,* &c. *Egregiam operam tuam, quam Cardinalis quoque extollit, in depellendâ ab ouibus tibi commissis hæresum contagione, præcipuo sanè Pontificiæ charitatis affectu complectimur; vtque ea nedum constans & perpetua sit, verùm etiam in dies vsque promptior & ardentior increscat, à te summoperè petimus.*

Nolo hîc, quæ amplissima ab Imperatoribus, Patre & Fratre Leopoldi, Ferdinandis II. & III. de virtute eius, nec semel, testimonia data sunt adferre scribendo: præstantis viri laudi si non detrahit, certè non multùm adijcit qui testimonia de eo domestica arripit à naturâ. Veniat in mentem tamen Angeli nomen, quod ab Augusto Parente Ferdinando II. angelica eius innocentia impetrauit, & totius Aulæ consensus approbauit. Eam opinionem innocentiæ à puero consecutus, vir etiam numquam amisit. Belgium vix attigit, Sancti nomen obtinuit. Idem vel hostium & hæreticorum iam pridem de eo sensus: nam cùm Electorem Saxoniæ aditurus, Eilenburgi in Misniam diuertisset, & quòd cum paucis iter ageret ignotus, Chiliarcha crederetur, ipse ab adstantibus vrbis primoribus quæreret, quid passim de Leopoldo sentiretur; vnanimi consensu reposuerunt, *Leopoldum ab omnibus optimum, pium, sanctumque Principem æstimari.* Ridiculum videri potest, ruricolas ad Hietzinganam Virginem propè Viennam peregrinos, ad præstantem in pictoris officinâ Archiducis Leopoldi effigiem genua flexisse, & elatis more precantium manibus veneratos esse; inter-

FERDINANDI II *Patris priuatum,*

& publicâ etiam hæreticorum,

& simplicium:

interrogatos cur id agerent, respondiſſe, *Venerationi imaginis ſancti viri*. Eccuiuſnam viri rogatos, repoſuiſſe, *Sancti Deo noti*: quia tamen cum ſimplicibus ſermocinatio Dei eſt, fortè diuiniore quodam inſtinctu permotos id egiſſe, pronum eſt cogitare.

Magis ſincera ac ſolida de virtute teſtimonia ſunt, quæ ſumuntur à communi Vrbium, Populorum, & diuerſiſſimorum hominum, etiam hoſtium, quaſi conſpiratione aliquâ ad ſuadendum: illud enim quod placet & probatur communiter ijs, qui diuerſi inter ſe ſenſûs ac voluntatis ſunt, de ſolido & vero ſuſpectum eſſe non poteſt.

Reduci à Belgio Leopoldo, ab Vrbibus, Populiſque Germaniæ, publicis etiam vocibus, tamquam *Seruatori ſuo & delicio ſui generis* paſſim acclamatum eſt. A Belgio, nominatim Flandriâ, nomen obtinuit *Vindicis ſui, Pij, Bellicoſi, Fortis, Felicis, Polyorcetæ, Patris patriæ*. A Gallia, *Principis omnis vitij expertis, Prudentis, Martialis, Pacifici*. Illa, cùm in ſua viſcera Leopoldus penetraſſet etiam armatus, & tamen pacificus, eius effigiem in æs inciſam, cum elogio pacifici victoris Pariſino ſuo populo oſtentauit, ſubſcripto etiam Epigrammate, quod ſubnecto: Nationum.

Auſtriaci totum tua Nominis vna per orbem
Fama volat; pennis non volat illa ſuis.
Biſgeminas illi tua virtus addidit alas;
Heroës etiam quam ſtupuere mei:
Fama tubas inflat: dedit has tuus ardor in arma;
Pacis amans oleam, quam gerit, illa dedit.

Vnitæ Belgicæ Prouinciæ paſſim ei nomen dedêre *Virtuoſi & Perhumani*: nec otioſum, aut adulantium fuiſſe hoc illarum de Leopoldo elogium oſtendêre facto ipſo, quando illicò, illo ad Belgij gubernacula admoto, volentes denique lubenteſque conſenſere in Pacis cum Rege

PHI-

PHILIPPO IV. conditiones; nolentes bello decernere, vel cum humanitate Principis quam amarent, vel cum virtute bellicâ, quam timerent.

Vrbium, S. P. Q. Antuerpiensis optatissimum aduentum gratulatus, omnium inhabitantium consensu & approbatione Leopoldum *bono Reipublicæ Christianæ natum, inuictum ac indefessum Orthodoxæ Religionis propugnatorem & propagatorem* proclamauit. Gandensis verò S. P. Q. illi, cuius antè memini, Triumphali Arcui, quem amplissimo schemate in æs incidi curauit, vt ille Leopoldo non apud se tantùm, sed vbique erigi apud omnes posset, hunc titulum & elogium inscripsit: *Leopoldo Guilielmo*, &c. *Belgarum pro Rege Gubernatori, Flandriæ Vindici, Pio, Forti, Felici*, &c.

Legatorũ Regnorum & Populorum. De Leopoldo Legati Regum & Populorum multi censuêre & dixere magnifica: produco solùm paucos. Vir à summa prudentiâ & auctoritate eximius Gaspar de Bracamonte & Gusman, Comes de Peñaranda, Regiæ Catholicæ Maiestatis ad Pacis Tractatus & Imperatorem Legatus, solitus erat de Leopoldo dicere: *Fieri posßit, exstare Principes alios tam magnanimos, tam prudentes alios, ac negotiorum peritos, quàm sit Serenißimus Archidux; qui tamen in tam excellenti gradu coniuncta hæc habeat omnia, præter eum non reperiri.*

Consentit elogio Ioannes Baptista Nani, Serenissimæ Reipublicæ Venetæ ad Imperatorem Legatus, qui in suâ Relatione quam ad Senatum Venetum dedit de Aulæ Cæsareæ constitutione, hæc habet de Leopoldo: *Princeps est eximiæ pietatis & prudentiæ, experientiæ fortitudinis ac magnanimitatis. Si qua Imperatorem vrgeret necessitas, alius non suppetit, qui pari cum auctoritate præfici valeat exercitibus. A morte Ferdinandi III. vt Serenissimo Hungariæ Regi corona Germaniæ imponeretur, cum nominis sui immortalitate*

talitate studuit: nec sibi oblatum Maiestatis nomen tanti fecit, quanti Serenissimo Nepoti collatum.

Accedat & P. Martini Martinij, è Societate IESV Neo-Ecclesiæ Regni Sinensis Legati, qui ad transferendas eò Europæorum colonias, quæ per tot peragratas Orbis partes, ipso suo in Europam ingressu, inter ipsos etiam Austriaci nominis æmulos inaudiuit, ita paucis in Præfatione ad suum Atlantem Sinensem complexus est: *Quem enim alium potiùs, vel vnde conquirerem Patronum aut vindicem mei Operis quàm illum, cuius tanta ad me fama vix primos Europæ limites ingressum, etiam inter hostes & æmulos Austriaci nominis, præuolauit? Loquebatur illa mihi de Leopoldo Guilielmo Belgij Vindice & magna & mira, & quæ, nisi dicerentur de auctore tanto, propè incredibilia viderentur. Asserta iura Ecclesiæ, defensam contra oppugnatores Religionem, seruatam inter tot arma & prælia, & testatam exemplo perpetuo pietatem; gesta etiam sine subsidijs, sine quibus Mars nullus est, bella grauissima; recuperatas cum paucissimo milite vrbes plurimas, munitasque; stabilitam pacem cum Batauis, bellum, nisi agenda res cum Leopoldo foret, præoptantibus: ac denique Belgium omne sanctissimè felicissimeque defensum, suoque Regi ac Domino vindicatum.*

Nec his inferiora vulgauêre Historici & Litterati, etiam conditione viri nobiles, Didacus Saauedra, Eques S. Iacobi, in Ideâ Principis Christiano-Politici, Symbolo 86. *Non bonum fuit consilium quod Titianus & Proculus Othoni dedêre, vt ne pugnæ ad Brediacum præsens adesset, è cuius successu Imperium dependebat. Fortiorem, magisque prudentem in præsenti occasione se nunc exhibet Serenissimus Archidux Leopoldus: qui etsi oppugnari se videat Salafeldij iunctis hostium copijs, & longè etiam maioribus quàm ipse habeat; sua tamen contemnit pericula, & generosâ constantiâ semet tuetur, pro-*

Historicorum & Litteratorum.

bè ſciens, in euentu illo ſalutem Imperij & Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ conſiſtere; atque adeò primus eſt in periculis & laboribus militaribus;

——— monſtrat tolerare labores,

Non iubet.

Lucanus lib. 9.

Comes Franciſcus Chriſtophorus Kheuenhiller, Eques aurei Velleris, intimus Conſiliarius Imperatoris, in Hiſtoriâ ſuâ de Ferdinando II. hæc annotauit de eius Filio Leopoldo: *Timori Domini, & omnibus pariter virtutibus à puero deditus, probitati verò, quam à Parentibus ſuis hereditario quaſi iure obtinuit, ita addictus erat, vt etiam in adoleſcente nullum vitij, otioſitatis aut malitiæ appareret veſtigium. Hinc accidit, vt ſingulari zelo, conſcientiæque puritate, indefeſſo quoque ſtudio, ac præmaturo iudicio, concreditos ſibi Epiſcopatus adminiſtrauerit. Singulare ſemper Parentis ſolatium exſtitit, propterea quod etiam in grauibus cauſis, ſiue publicæ, ſiue arcanæ eſſent, promptiſſimis eum ſibi obſequijs ſtuderet deuincire.* Cùm verò in obitu Ferdinandi II. finem hiſtoriæ imponeret, votum ſuum hoc adiecit: *Hoc vnicum ab omnipotenti Deo efflagito, vt quemadmodum Sereniſſimus Leopoldus Guilielmus Bannerium Pragam arctâ obſidione tenentem, fracto ſuperuenientium Gallorum, VVimarienſium, Brunſuicenſium, & Haſſorum ad Salafeldiam impetu, à Ratiſbonenſibus muris depulſum, cum plurimarum ciuitatum ac præſidiorum recuperatione, pace quoque inter Duces Brunſuicenſem & Luneburgenſem obtentâ, Brunſuicum vſque adegit: ita etiam futuris annis à potenti manu Dei felix, multiſque victorijs illuſtris, pro Pace vniuerſali Germaniæ, totique Chriſtianitati conciliandâ, in plurima tempora incolumis ac pacificus conſeruetur, & protegatur.*

Caſperius Geuartius Iuriſconſultus, Cæſareus Regiuſque Conſiliarius & Hiſtoriographus, qui Vitas Imperatorum

rum Romano-Austriacorum per ducentos annos continuos descripsit, & Huberti Goltzij historiam ad nostra vsque tempora deduxit, in Elogio Ferdinandi III. de Leopoldo armorũ Imperatore constituto hæc habet: *Cùm autem grauissimâ Imperij mole domi militiæque vrgeretur Cæsar, Serenissimum Principem Leopoldum, Austriæ Archiducem, Fratrem suum vnicum, non sanguine tantùm, sed & virtutibus sibi coniunctissimum ac simillimum, in partem curarum assumpsit, supremumque exercitûs sui Præfectum declarauit.* Quæ autem dein laudabilia gesserit, non minùs vero quàm eleganti calamo prosequitur. Idem in Epistolâ Dedicatoriâ ad Ferdinandum IV. Romanorum, Hungarorum, & Bohemorum Regem, priscis Imperatorum Romanorum Numismatibus præfixâ, de inuictâ eiusdem animi magnitudine, & discriminum contemptu sic scribit: *Modò Serenißimus & inuictissimus Princeps Leopoldus Guilielmus, Archidux Austriæ, Patruus tuus, nuper Cæsareanorum exercituum per Germaniam superiorem Præfectus Supremus, nunc Germaniæ Inferioris, Belgarumque & Burgundionum pro* PHILIPPO IV. *Hispaniarum Indiarumque Rege Gubernator, dum Catholicæ Maiestatis iura fortiter propugnat, & munitißimis vrbibus receptis, in hostilis soli viscera feliciter penetrat, nullis non discriminibus & periculis se exponit; ephebo domestico nuper in Dunkercanæ vrbis obsidione ad latus eius glande plumbeâ interempto.*

Nimirum ille aduersus infesta hostium machinamenta, telaque, Symbolo suo gentilitio, TIMORE DOMINI, *plus quàm septemplice Aiacis clypeo confisus, tectusque, bella gerere solitus est. Vt priscum istud Diui Paulini scitum aßiduè ipsum animo voluere credas;*

—metuens DOMINVM, *contemno periclum:*
Ne timeam, TIMOR *ille facit.*

D. Paulin. lib. de Vitâ S. Martini.

Sed hæc omnia superantur ijs quæ Philippus IV. Rex Catholicus, quà publicis quà priuatis litteris, non semel contestatus est; quæ tamen, quia viuo à viuente & cognato probata sunt, ne affectui sanguinis tribuantur, libens prætermitto.

§. 2.

Testimonia de mortuo.

De Leopoldo mortuo testimonium.

QVæ post mortem vel à cognato sanguine dicuntur scribunturque Elogia, minùs de palpo vel falso sunt suspecta, quòd facilius tum & calami & lingua ad veritatis regulam ducantur.

Inter viros Principes primas teneat qui primus Principum est Leopoldus Imperator. Hic ad Hispaniarum Regem, ad Archiducem Tyrolis, ad Magnum Hetruriæ Ducem, ad Coloniensem, & Bauariæ Electorem, ad Mantuanum, & Neoburgicum Ducem, hoc sui mœroris, quem de morte Serenissimi Patrui concepisset, solatiū perscribit.

Leopoldi Cæsaris.

Vnum in hoc mœrore me solatur, quod eumdem [Leopoldum Guilielmum] *ob peculiarem suum in promouendam Diuini Nominis gloriam, & Religionis incrementum, nec non in Republica Catholica bonum, semper exercitum zelum, pro hac momentaneâ, omniique calamitatum genere cumulatâ, æternam vitam ac beatitudinem adeptum esse, omnino confidam.*

Sensum hunc suum Augustus Leopoldi Nepos, quem complecti non potuit hisce litteris, titulis, quos insculpi eius cenotaphio voluit, ampliùs in omnem posterorum memoriam declarauit. Illi sic habent:

Serenissimus Archidux Leopoldus Guilielmus, puer Angeli nomen sortitus, vir non amisit. Duo miracula viuus fecit: Aulam innocentiâ, Martem pietate muniuit. Sic viuunt in delicijs Angeli, sic bella gerunt.

Sere-

Serenissimus Archidux Leopoldus Guilielmus, Belli & Pacis arbiter, affectuum ignarus, aequitatem secutus, pro Caesare, Germaniâ, & Belgio sic bella gessit, vt Pacem sereret. Cuius monumento id vnum inscribe, PRINCEPS PACIS.

Serenißimus Archidux Leopoldus Guilielmus sic belli Ducem gessit, vt se Antistitem cogitaret; citra sanguinem saepè victor; quà tulit arma, aut Religionem protexit, aut propagauit: sic Regum tuitus auctoritatem, vt Dei consuleret Maiestati. Vitam, quam Mars non potuit, mors eripuit.

Serenißimo Archiduci Leopoldo Guilielmo, Caesarum Nepoti, Filio, Fratri, Patruo, Austriaco, Forti, Pio, Prudenti, Munifico, Innocenti, Religioso in Deum, Suorum amanti, amans & maerens Nepos Aug. Romanorum Imperator parentabat XI. *Decemb.* M. DC. LXII.

Rex Poloniae Casimirus numquam aliàs Leopoldi meminit sine voluptate: post eius vulnera, non sine dolore, quòd in eo summi semper aestimauerit non raram modò in virtute & pietate constantiam, sed insignem etiam, tantoque Principe dignam in consulendo prudentiam, in agendo dexteritatem. *Regis Poloniae,*

Ad Electores Imperij vbi perlatum est, supremum diem obijsse Leopoldum, nemo non indoluit sublatum Germaniae Vindicem, ac Religionis assertorem. Moguntinus Imperij Cancellarius (verba sunt eius Confessarij è Societate IESV) *magnoperè ingemuit.* Suspexit enim & vehementer adamauit Principem omni amore ac veneratione dignissimum: cui, vt paucis complecteretur quàm plurima, hoc elogium pronuntiauit: *Eum felicißimo in se matrimonio iunxisse Virtutes duas perraro associabiles, Pietatem & Fortitudinem.* *Electoris Moguntini,*

Serenissima Maria Anna Bauariae Dux, Leopoldi Guilielmi Soror, ita ad Carolum Lotharingiae Princi- *Maria Anna Bauara,*

pem paucis verbis, affectu magno: *Fatendum eſt, quòd quemadmodum ſanguis ipſe tam dilecti & vnici Fratris virtutes in me hereditariò deriuare meritò deberet, ſummæ mihi conſolationi ducerem, ſi virtutum earum imitationem conſequi poſſem.* Eo enim nomine eum ſemper amore tenerrimo complexa eſt, quòd firmatam haberet de integerrimâ eius vitâ, ac virtutum excellentiâ, opinionem.

Belgij Regij. Belgæ, vri Leopoldi ſemper amantes, ita in eius laudes ſemper faeundi, ſed numquam nimij, ſic ſcribunt: *Mors Sereniſſimi Archiducis, optimi Principis, excepta fuit magno omnium ſenſu. Statim poſt allatas litteras multis locis curata Diuina: omnium tamen ſenſus fuit, ijs optimum Principem non egere, ſed felix eſſe Belgium, quod in ipſo vt Gubernatore ſuo, nouum in cælo Patronum nactum ſit.*

Sed omnium minimè patitur candor & ſinceritas Epiſcopalis aliquid per adulationem fingere; vel, cùm diuinæ veritatis aſſertores ſint Epiſcopi, ab humanâ per exaggerationem deuiare. Illorum ergo de Leopoldo ſenſum per ſubtexta Teſtimonia, ſecurus de fide, ſubnecto.

Andreas Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Archiepiſcopus Mechlinienſis, Regiæ Maieſtatis à Concilio Status, omnibus has viſuris ſalutem in Domino.

Andreæ Archiepiſcopi Mechlinienſis, *Si ad quos, ad nos quidem ſpectat maximè tantus in obitu Sereniſſimi Principis Leopoldi Guilielmi dolor, quantus in vitâ fuit amor Belgarum omnium, incomparabili eiuſdem Principis benignitate & humanitate, tamquam Paſtoris optimi, imò Patris (quod in ſummâ poteſtate ac dignitate Diuinum eſt) prouocatus. Præluxit Bruxellis ac toti Diœceſi, & Prouinciæ noſtræ; præluxit toti Belgio; præluxit Eccleſiæ vniuerſæ ad omnem probitatem & virtutem, tamquam ſalutare aliquod & lucidiſſimum ſidus. Gliſcentes de nouo, & pridem in Caluino damnatos, errores ſtitit, ac fregit lenitate*

&

& prudentiâ, quæ deceret Præsulem; vi & efficaciâ, quæ Principem; auctoritate, quæ Ministrum Pontificis Regisque fidelissimum, ac timentem nihil nisi Deum, neque curantem nisi ea quæ Dei sunt. Denique & in castris Militi, & in togâ Iudici, & in habitu sacro Præsuli, & in Aulâ suâ domesticis omnibus, demum vbicumque visus est, dux & auctor fuit ad virtutem omnem, non tam auctoritate quâ valebat, quàm exemplo quo volebat omnibus omnia fieri. Hæc nos etiamnum iuuant vel recordatione solâ ad capescendam duce tali sanctitatis viam, secuturos tamen promptiùs, si habere præeuntem in oculis diutiùs licuisset: sed ereptus est primùm Belgio, tum demum omnibus, dolore quidem summo, sed iacturâ maiore, nec in simili Principe vel olim facilè resarciendâ. Ita sentire nos vltrò testamur confidentiùs, quia nobiscum sentire scimus quotquot ex æquo sentiunt & bono. In quorum fidem præsentes sub signaturâ & sigillo nostris expediuimus in Aulâ nostrâ Archiepiscopali. Bruxellis anno Domini M. DC. LXIV. *mensis Iulij die decimâ octauâ.*

Tornacensis itidem Antistes Franciscus præter alia hæc scripsit: *Obseruaui in Leopoldo Guilielmo Principe solidam virtutem, pietatemque verè Austriacam, & summam rerum Diuinarum curam. Duabus quotidie Missis religiosè & exemplariter assistebat: vario idiomate (præter consuetudinem) ad Aulicorum commoditatem, vtpote Germanorum, & aliorum, Verbum Dei annuntiari imperabat. Nihil ipsi gratius, quàm vt officia in dictâ Capellâ Regiâ ritè & deuotè fierent: adeoque vt Diuina ibidem solemniori ritu peragerentur, proposuerat, vt maioribus saltem festiuitatibus Pontificaliter à me, vtpote iam consecrato, celebrarentur. Atque adeò Episcopatum hunc, & Capellæ præfecturam simul administrarem, nisi locorum distantia, & pastoralis officij onus recenter mihi commissum, id impediuissent. Maluit itaque prudentissimus Princeps* *Francisci Episcopi Tornacensis.*

ceps Capellæ de alio Præfecto prouidere, quàm Tornacensem Diæcesim Pastoris solatio & ope viduatam diutiùs relinquere: quod & illum non mediocriter ad accelerandum residentiæ meæ negotium mouerat. Negotia animarum salutem concernentia, tamquam Dei causam sollicitè amplectebatur. Experimento sit Pontificij Decreti in re Iansenianâ executio, quæ quantas passa fuerit difficultates, quantoq́ue zelo eam Serenissimus noster Princeps promouerit, nemo non nouit. Aulam hanc ægrè ac ferè inuitus deserùi. Expeditiones bellicas, reique militaris successus, status Belgij, & tot primarum vrbium recuperatio, luculenter testantur. Sanè habet Germania, imò Respub. Christiana, quod nobiscum lugeat, tanti Principis præmaturam mortem. Hæc sine fuco à me dici & credi debere autumo, qui supersum. E Castro Herchiniensi VII. *Kalendas Decembris* M.DC.LXIII.

Caroli Episcopi Gandensis, Elogio prædictorum consentit quod scripsit Carolus Episcopus Gandensis: *Obijt ergo Serenissimus optimusq́ue Princeps, Archidux Austriæ Leopoldus Guilielmus. Omnes in eo magnam iacturam, sed Ecclesia maximam fecit. Fuit enim norma non tantùm Christiani Principis, sed etiam sanctissimi Præsulis. Sic bella gessit pro Iustitiâ, Fide, & Deo fortiter, vt vbique, tam militiæ quàm domi, constantiùs etiam pro Religione & virtute, integerrimis moribus magis quàm verbis, & castissimis certaret exemplis. Hæc omnium, qui illum nouere, animis tam altè impressa sunt, vt non opus sit vllâ cuiuspiam, ne nostrâ quidem, testificatione firmari: firmamus tamen.*

Ambrosij Episcopi Antuerpiensis, Ambrosius Episcopus Antuerpiensis ad quemdam Religiosum virum calamo suo dedit quæ sequuntur: *Serenissimus Leopoldus Guilielmus, Archidux Austriæ (cuius gloriosa est memoria in benedictione Belgarum omnium) quanto illorum gaudio & bono ijs difficillimo tempore Gubernator à Rege datus est, tanto cum dolore eorumdem ereptus est. Sed*

enim

enim laboranti etiam tum, inter Augusta funera, Imperio patronus futurus ac tutor, euocabatur à nutu tacito prouidentis Dei. Hoc vnum solatio Belgis fuit. Verùm nunc, cùm non ijs tantùm, sed etiam Imperio, atque adeò humanis rebus omnibus, morte ereptus est, iustissimus denique & communis omnibus, qui Augustæ Domui Austriacæ benè volunt, est dolor. Norma vitæ fuit Principibus Christianis, sacris Præsulibus, virtutis regula; exercitùs Imperatoribus, exemplar fortitudinis: quidquid & magnum & rarum est in singulis, in se vno complexus. Bellorum, quæ pro Deo & pro Domo suâ, multa gessit, curâ penè perpetuâ sollicitudines Episcopales non infregit. Clero suo sic adfuit, etiam aliò per bella distractus, quasi apud illum in otio degeret. Causa Ecclesiæ Belgicæ, per opinionum dissidia laborantis, præstò fuit, prudentiâ & fide tantâ, atque si aliud quod ageret non haberet. Sic in hostem duxit exercitus, tamquam si præter tubas & tympana nil audiret: in periculis constans, numquam fractus aduersis, imò nec mutatus quidem. Christianè patientis animi, quin etiam sereni vultùs tenore perpetuo, quem nec morborum crebra acerbitas, nec malè affectorum aduersa studia, nec casus demum vllus detorsit vmquam à mensurâ æqui & boni: quod omne in permittentis & disponentis Dei sibi semper placitâ & semper adorandâ voluntate collocabat. Hæc & plura, quæ de laudatissimo Principe, cùm vsu & experientiâ propriâ comperimus ipsi nos, tum ab alijs viris fide dignis accepimus. Pauca de plurimis signaturâ & sigillo nostro Episcopali firmauimus: non ad exaggerationem laudis debitæ, quando illa in ore & animo proborum omniū semper viuet; sed ad fidei & obsequij & affectùs nostri in tantum Principem monumentum. Datum Antuerpiæ in Palatio nostro Episcopali die XIX. *Septemb.* M.DC.LXIII. *Eugenij Alberti Episc. Ruremund.*

At verò Illustrissimi & Reuerendissimi Episcopi Ruræmundensis de eodem testimonium in hæc verba da-

tum est: *Tantus erat virtutum heroicarum, & sacro Principe, qualis fuit Leopoldus Guilielmus Archidux, dignarum fulgor, vt inuidorum ac maleuolorum oculos perstringeret, & raperet animos: nec minùs honorificum ab aduersarijs, quàm ab ijs quibus erat in amoribus, extorqueret elogium. Audiui ego non semel, cùm in ijs locis versarer, in quibus diuersarum nationum partiumque quamplurimi promiscuè ac liberè degebant; etiam ab ijs qui tum Belgio bellum mouebant, Leopoldi Belgij Gubernatoris, atque adeò hostis sui, laudes pleno ore decantari, æstimari prudentiam, virtutem amari; eumque ceteris Principibus, ac belli Ducibus, quod imitari gloriosum putabant, exemplum proponi. Nec mirum; cùm apud omnes passim pijssimi Præsulis, optimi Principis, fortissimi Imperatoris, & quod raro etiamnum in hac vitâ mortali degentibus contingit, viri omnibus numeris perfecti, atque adeò Sancti cognomen & laudem fuerit adeptus. Ab hac tam incontaminatâ viuendi ratione, rectéque factorum conscientiâ, tanta inerat animo tranquillitas, vt vitæ necisque securus, nulla, quibus non raro se obijciebat, pericula formidare videretur. Ex eodem fonte profluebat tam admiranda in tanto Principe modestia, tam suauis omni loco ac tempore affabilitas, tam grata omnibus comitas; vt cùm victricia per Belgium arma circumferret, obsessorum plerumque ciuium priùs animos expugnauerit tam benigni famâ nominis, quàm eorum arces aut oppida armatâ manu in suam potestatem redigeret militaris industria Denique quàm pretiosus, quamque carus suis fuerit Leopoldus, abundè Belgæ sunt testati; nec læto magis, quo aduenientem exceperunt, applausu, quàm mœstio planctu, quo discedentem sunt prosecuti. Nec leuis erat hic dolor, nec exigui luctus temporis. Amori par erat, qui fingere non nouerat quia verus; nec poterat deficere, quia stabilis. Hinc iactatæ illæ per Belgium voces, & tristes querimoniæ, quibus restitui sibi postulabat,*

quem-

quem immaturè gemebat ademptum. Nec priuatorum hæc erant desideria, sed publica omnium vota. Omnes reducem exoptabant; omnes requirebant absentem: carendo edocti quantum amisissent boni, nempe quantum possederant, etiam ij qui eum minùs amauerant; quos inter non vulgaris conditionis homines, non exiguâ fortunarum suarum iacturâ (si venalis auro fuisset tanta felicitas) redemptum voluissent, quam publicis illatum iri credebant. Vidimus pro reditu primùm (cuius nescio quam spem credulis nimiùm, quia amantibus, rumor gratus fecerat) tum pro incolumitate tam dilecti Capitis gemitus lacrymasque fundi, vota fieri; & non priuata tantùm, sed communi etiam pietate publicas ad Deum preces supplicationesque institui: non aliter, quàm si omnium cum discedente Leopoldo abire gaudium, cum ægrotante languere animus, cum moriente felicitas extingui videretur. Sed eripuerit mors acerba Belgis & terris Leopoldum; desiderium certè numquam auferet: cuius iucundam quidem, sed tamen, quia absentis, etiam luctuosam grati semper recolemus fouebimusque memoriam. Ruræmundæ anno M.DC.LXIII. *die* I. *Ianuarij.*

EVGENIVS ALBERTVS *Episc Ruremundensis.*

Prolixum nimis foret, exponere, quanta quamque laudabilia, Canonicorum Collegia Episcopatuum Argentinensis, Passauiensis, Olomucensis, Vratislauiensis seu Nissensis, Castro doloris, quod singula magnifico apparatu exstruxerunt, de defuncto suo Antistite & Pastore inscripsêre, & in Oratione funebri protulere. Lubet tamen publicare, quæ de Leopoldo Senatus ciuitatis Argentinensis, licet acatholicus, ad Cæsarem Augustissimum exararit 11. Decembris, M.DC.LXII.

Quanto enim cum sensu vniuersum sacrum Romanum Imperium, ex subuersione tam potentis ac robustæ omnino columnæ, cui Cæsareæ Maiestatis Vestræ pars magna grauissimæ molis *Senatus Ciuitatis Argentinensis.*

Qq 2 *tanti*

tanti regiminis incubuerat, vulnus hoc, iacturamque exceperit, omnes eiusdem Imperij fideles Status multò luculentiùs intimo quodam animi dolore ac gemitu contestabuntur, quàm verbis prolixioribus sufficienter possit declarari. Quàm periculosum autem in statum, præsertim hæc sacri Romani Imperij in extremis sita limitibus Prouincia, ex obitu tam luctuoso coniecta sit, quo videlicet Argentinensis quidem Episcopatus Capite suo, ac parente tam laudabili, tota verò circumiacens regio clementissimo iustissimoque Principe ac Domino orbatā se non sine dolore persentiscit, æqui inexpugnatiq; ab omni affectione animi, accuratiùs rem ponderando, certissimè breuî sunt deprehensuri.

His subnecto quæ ciuitas Nissensis, ad præcipuos Serenissimi Archiducis Leopoldi defuncti Officiales dedit II. Decembris, M.DC.LXII.

Ciuitatis Nissensis. *Quapropter nos pijssimum hunc, benignissimum, & ab Orbe vniuerso summè laudatum Serenissimum Archiducem, qui veluti totius huius conquassatæ Patriæ Silesiæ clementissimus Pater, Protector & Defensor, ac inprimis Religioni Catholicæ addictissimæ semper Ciuitatis Nissensis Restitutor, solatium, salus, ac diu desideratum leuamen extitit, nos iure meritissimo deplorare sumus obligati; omnium (quoad vixerimus) collatorum clementium beneficiorum intimâ deuotione memores exituri. Hancque fatali potestate ereptam Archiducalem Serenitatem, Cor cordium omnium, amorem, fortissimumque antemurale afflictorum omnium, vehementer lugere, eiusque exanime corpus, indeque euocatam animam, quamuis nullius humani solatij indiga (vti spe firmâ in Deum pro certo credimus) cælestis consors beatitudinis æternùm lætetur, mæstissimis nostris suspirijs, ardentique ad Deum oratione, perpetuò demississimeque condolenter prosequi obligamur.*

Casperij Geuartij. Casperius Geuartius I.C. cuius de viuo Leopoldo suprà adductum est testimonium, de mortuo, inter cetera quæ

quæ ad Confessarium Archiducis scripsit, candido calamo sequentia expressit: *Magnum ipse in Serenissimo Principe, litterarum ac litteratorum amantissimo, Patronum, sed Respublica Christiana Ducem præstantissimum amisit. Quippe qui in vtrâque Germaniâ, Cæsaris Regisque Catholici auspicijs, Religionem Catholicam fortiter propugnauit, & propagauit; & nunc alienissimo tempore superior Germania & Pannonia eius consilijs & ope destituuntur, dum furor Ottomannicus Transiluaniæ, vicinisque Prouincijs excidium minatur.*

Quæ omnia quia breui elogio, quod laminæ incisum auctoritate Cæsareâ defuncti tumulo appendi, mihi videor in compendium contraxisse, illud, vt vniuersum Opus concludam, anacephalæosis loco hîc subiungo.

TIMORE DOMINI.
IN SCOPVLVM INCIDISTI VIATOR;
SVBSISTE ET LEGE.
AD HOC SAXVM, INGENTES TITVLOS,
DICAM ORBIS MIRACVLA,
MORS ALLISIT
ARCHIDVCEM,
ANTISTITEM,
BELLI-IMPERATOREM,
SERENISSIMVM
LEOPOLDVM GVILIELMVM;
IMPERATORVM
FERDINANDI II. FILIVM,
FERDINANDI III. FRATREM,
LEOPOLDI I. PATRVVM.

ARCHIDVX.

NATALIVM SPLENDORE
SERENISSIMVS,
AVGVSTA STIRPE
AVSTRIACVS,
PARENTVM APPELLATIONE
ET INNOCENTIA VITÆ
ANGELICVS,
MORVM DECORE
VIRGINEVS;
ANIMO CANDIDVS, SERMONE AFFABILIS,
OCVLORVM GRATIA MAGNETICVS,
AFFECTIBVS TEMPERATVS:
IRASCI DIFFICILIS, PLACARI FACILIS;
VINDICTÆ IGNARVS,
BENEFACERE AVIDVS;
NEMINI BONO INVISVS,
AMANS SVORVM, SVIS CHARVS;
OMNIBVS IDEM, SINGVLIS ALIVS,
VIRTVTE COMMVNIS ÆQVE AC SINGVLARIS:
PAVCORVM EXEMPLO
HONOREM DOCTVS SPERNERE,
ET MERERI.

BELLI-IMPERATOR.

TEVTONICI ORDINIS
MAGNVS MAGISTER,
CRVCE DOMINI,
VEL VT CLYPEO, VEL VT HASTA VSVS,
SVB CÆSARE
ET
REGE CATHOLICO
GENERALISSIMVS:
PRO DEO, IMPERIO, BELGIO,
VITÆ PRODIGVS:
CVM MARTE PIVS,
SVB ARMIS INNOCENS;
SINE FVRORE MAGNANIMVS,
SINE TVMORE VICTORIOSVS:
VNVS
VTRIVSQVE FORTVNÆ DOMINVS;
PACIS AMANS, DVM BELLA GESSIT;
ARMA, VICTORIAS, FIDEM
IISDEM LABARIS CIRCVMTVLIT.

ANTISTES.

A PRIMA ÆTATE
AMPLISSIMIS E VATICANO LITTERIS,
SED PROPRIA VIRTVTE
MAGIS COMMENDATVS:
VNO CAPITE MVLTIS PAR INFVLIS;
RARO ECCLESIIS SVIS PRÆSENS,
NVMQVAM ABSENS:
NECESSITATE PVBLICA,
CONSENSV PONTIFICIO,
POSTVLATIONE CÆSAREA
AVVLSVS,
VEL SIC CVRA CONIVNCTISSIMVS:
PROFVSVS IN DEVM,
LIBERALIS IN HOMINES,
IN VNVM SE PARCVS;
QVAM IVSTA NEGARE,
TAM INIQVA CONCEDERE NESCIVS.
AVXIT ECCLESIARVM NITOREM,
EXPVNXIT NOMINA,
ADIECIT ANIMAS.

TANDEM,
DE RELIGIONE
ET
ORBE CHRISTIANO
PRÆCLARE MERITVS,
MAGNO SVI RELICTO
MORTALIBVS DESIDERIO,
ÆTERNVM MEMORANDVS
ARCHIDVX,
VERVM CHRISTIANORVM PRINCIPVM
EXEMPLAR,
CoMpLeVIt DIes sVos
VIGESIMA NOVEMBRIS.
LEGISTI HÆC VIATOR? ABI,
ET
PRINCIPIBVS,
EPISCOPIS,
DVCIBVS
ENARRA.

Rr

INDEX
HVIVS LIBRI.

PARS PRIMA.
LEOPOLDVS ARCHIDVX.

PROLEGOMENON I.

PARS SECVNDA.
LEOPOLDVS BELLI-IMPERATOR.

PROLEGOMENON I.

PARS

PARS TERTIA.

LEOPOLDVS EPISCOPVS.

PROLEGOMENON I.

FINIS.